





1
7
113









IVLII CLEMENTIS SCOTI

PLACENTINI COMITIS &c.

Animaduersionum

Opusculum Tertium;

Quod in Duodecim Capita tribuitur;
In quorum singulis

Animaduersiones Vigintiquinque
Reponuntur

Scilicet Pro

Bibliothecam Instituente.
Lectiones in Scholis Habente.
Lectiones in Scholis Dictante.
Accedente ad Publica Gymnasia.
Vacante Priuato Lectionum Studio.
Disputante Generatim.
Respondente.
Arguente.
Respondenti Assistente.
Disputationi Præsentibus.
Platonicę Philosophię Studioso.
Stoicę Philosophię Studioso.



PATAVII, Typis Sebastiani Sardi. Anno IVBILAEI M. DC. L.
In Singulos Vigintiquinque Annos Romæ Recurrente.

Cum Superiorum Facultate.

INDEX CAPITUM
OPUSCULI TERTII.

ELENCVS EORVM,

Quibus Trigintasex Trium Opusculorum Capita Dicata sunt.

ALoysius Molinus Patauij Prętor.
Aloysius Quirinus à Sec. Ven. Sen.
Aloysius Scotus Plac. Marchio.
Aloysius Squadronius Cong. Cas. Pręses, & Abbas S.N. Venet.
Anastasius Galdiolus Ab. Iadrens.
Andreas Contarenus Eques, ac Proc. D. M.
Annibal Capilistius Patricius Pat.
Antoninus Diana Cler. Reg.
Antonius Benzonus Patric. Venet.
Arnaldus Discaltius Ab. S. Iust. Pat.
Augustinus de Bellis Cler. Reg.
Bartholomęus Brusantinus Marchio Ferrariensis.
Bernardinus Calcaneis I.V. ac Philosophię Doctor.
Bononiensis Academia.
Cęsar Martinengus Cęsar. Comes Brixiensis.
Ciprianus Filippinus Ord. Predic. Professor Patauinus.
Cracouiensis Academia.
Federicus Scotus Co: Plac. Frater.
Fortunius Licetus Prof. Patau.
Franciscus Battarus Venet.
Francisc. Maria Picinius Cler. Reg.
Fulgentius Micantius Teologus Serenis. Reipublicę Venetę.
Gaspar Leonigus Cons. Reip. Ven.
Gustauus Bannier Syndic. Iurisc.
Hieronymus Bendadus Prior Cōg. Cas. Professor Patauinus.
Hippolitus Cauaturta Placentinus
Ioannes Cottunius Prof. Pat.
Ioannes De Lugo Card. Soc. Iesu.
Ioannes Galuanus Profes. Pat.
Ioannes Grimanus Eques Procurator Diui Marci.
Ioannes Pisaurus Eq. Proc. D. M.
Ioannes Rhodius.
Io. Bapt. Benzonus Patric. Ven.
Io. Bapt. Lezana Ord. Carmelit.
Io. Bapt. Marinus modò Ordinis Predicatorum Mag. Generalis.
Io. Bapt. Verus Episc. Pat. Georg. Cor. Cubic. Prefect.
Io. Franc. Scotus Plac. Ord. Capuc.
Io. Michael Pieruccius Prof. Pat.
Isaacus Basirius.
Leo Sanctius Soc. Iesu Stud. Praef.
Louaniensis Academia.
M. Aurelius Galuanus Fer. Prof. P.
Marinus Cerchiarius Ord. Prędic. Magister, & Concionator.
Mattheus Veglēsis Min. Con. Pr. P.
Nicolaus Albertus Episcopus Vitis. & Pomer. &c.
Nicolaus Crassus Cons. Reip. Ven.
Parisiensis Academia.
Patauina Academia.
Petrus Benzonus Patric. Venet.
Petrus Martir Rusca Min. Cōuent. Vicarius Gen. S. Off. Pat.
Pompeus Benzonus Patric. Ven.
Pompeus Cauaturta Placentinus.
Robertus Papafaua Abbas Pat. P.
Roccus Fidelis Corneaneus Venetus Aduoc.
Salmaticensis Academia.
Scipio Pannocheschi Archiep. Pis. Nuncius Apostolicus Venetijs.
Sebastianus Michaelius Pat. Pręf.
Thomas Cauaturta Placentinus.
Toldus Constantinus Proth. Apost.
Vincentius Candidus Ord. Prędic. Sacri Palatij Mag.
Zacharias Pasqualigus Clericus Regularis.

525

Eminentissimo, ac Reuerendissimo

IOANNI DE LVGO

SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE CARDINALI

Ex Illustrissima IESV Societate;

Quam Purpurati Patres

FRANCISCVS TOLETVS,

AC ROBERTVS BELLARMINVS,

Simul & IPSE

Triplici, ne dum Summæ Religionis,

Verùm & Sapientiæ,

Diademate exornat;

Nam in Sacrarum Interpretatione Literarum,

Theologia Morali, ac Philosophia

Præstat PRIMVS;

In Controuersijs cum Romanæ Fidei Hostibus,

In Ecclesiastica Eruditione,

Atq; in fouenda Varijs Opusculis Catholicorum Pietate

Præcellit ALTER;

In Scholastica Theologia,

Iureque Canonico, ac Ciuili

TERTIVS inter IESV Socios Eminet:

Animaduersiones Vigintiquinque

PRO BIBLIOTHECAM INSTITVENTE

IVLIVS CLEMENS SCOTVS

Placentinus Comes &c.

Præceptori in Theologicis Quatuor Annorum Spatio

In qualibet Vitæ Ætate, & Conditione

Beneficiorum Nunquam obliuiosus

D. D. D.

Caput Primum.

1 IN
tu
ce
ti
lam velit i
bere prop
cet alij mi
lius sapien
Scientijs q
thecas in
los ferme
Custodib
lege illis
recipiant
proficiunt
tur. Esset
modi celel
lucrum re
terisque H
cam causa
redditus e
demandar
conuenire
ta Interpret
Moralib. al
maticis; ali
storicis, aliu
licis; alius
forent vn
qui ad tale
thecam ce
curreret li
ter laudes
tes Viros,
periori in
& Iouitæ
tis annis B
quotquot
licis agunt
D. Aloysius
in *S. Georg*
quæ ob Li
Bibliothec

1 IN *aliqua ſaltem Scientia* ſit illuſtris Bibliothecam Inſtituens; *tum* quia ad librorum emptionem minori cum ſumptu neceſſaria eſt, nedum peropportuna, eorum Qualitatis cognitio ſaltem mediocris: *tum quia* ſi homo plane imperitus illam velit inſtituere, gloriam ſolùm quamdam futilem ſibi videtur habere propoſitam (contra quod Seneca c. 9. de Tranq. An.) vt ſcilicet alij minus periti hunc librorum intuentes apparatum, altè de illius ſapientia ſentiat. *Publico quidem Bono valde conſulunt illi*, qui in Scientijs quoq; nullatenus verſati in ſtudioſorum Vtilitatem Bibliothecas inſtituunt copioſiſſimas, ad quas cuilibet certis horis in ſingulos ferme dies datur acceſſus, ſtipendio ſatis congruo ſtatuto illarum Cuſtodibus, ac illis, quorum munus eſt excipere ad illas accedentes, lege illis ſtatuta, ne quidquam muneris loco etiam ab accedentibus recipiant; ſecus enim pauperes ſtudioſi, qui ſępe præ alijs in literis proficiunt, libriſque indigent magis, ab earum acceſſu retardarentur. Eſſet quidem *res Riſu, ne dum Vituperatione* Digniſſima; Si huiuſmodi celeberrimis Bibliothecis, Maxime ſi ex Præfectura aliquod lucrum reportaretur, præficerentur Viri Idiotę, atq; in Scientijs, literiſque Hoſpites, & hoc propter Affinitatem, vel aliam extrinſecam cauſam; cum tamen illa Pręfectura Viris ſapientibus, & quorum redditus eſſent amplificandi, reſque familiaris augenda iure meritò, demandari poſſet. 2. *Eßet valde commodum*, ſi multi Priuati ſecum conuenirent, vt Bibliothecam v.g. vnus inſtitueret ex ſolis *S. Scripturæ Interpretibus*; alius e ſolis *Theologis Scolaſticis*; alius e ſolis *Theolog. Moralib.* alius e ſolis *Philoſophis*; alius e ſolis *Medicis*; alius e ſolis *Mathematicis*; alius e ſolis *Canoniſtis*; alius e ſolis *Iuriſperitis*; alius e ſolis *Hiſtoricis*, alius e ſolis *Oratoribus*; alius e ſolis *Poetis*, alius e ſolis *Grammaticis*; alius e ſolis *Eruditionum libris &c.* Sic enim, & ſumptus parciores forent vnicuique; ſollicitus quiſque foret magis de habendis libris, qui ad talem ſpectant Scientiam, vel Artem; accedenſque ad Bibliothecam certæ ſtudioſus Diſciplinæ, eſſet ferme certus, quod ſibi occurreret liber, quem quęrit. Peculiari commendatione dignus eſt, pręter laudes ſummæ Religionis, Prudentiæ, Propenſioniſq; in ſapientes Viros, Reuerend. P. *D. Hermagoras Baßauellus* Patauinus anno ſuperiori in Celeberrimo *S. Iuſtinæ Patauij*, modò *Brixiæ* in SS. *Fauſtini, & Iouitæ* nobili Monaſterio Abbas *Congregationis Caſinenſis*, qui a multis annis Bibliothecam conſtruxit *Patauij*, in qua omnes Hiſtoricos, quotquot reperire potuit, ac poteſt, repoſuit, ac reponit, qui de Italicis agunt rebus. Cuius laudes ſanctè æmulatur Reuerendiſſimus P. *D. Aloyſius Squadronius Venetus* Abbas modò *Sancti Nicolai de Littore*, in *S. Georgij Maioris*, vt dicitur, Monaſterio Bibliothecam adornans, quæ ob Librorum copiam, varietatem, raritatemq; inter illuſtriores Bibliothecas erit reponenda. Et Monaſteriorum quidem S. Benedicti

dicti in Germania nominatim ea peculiaris laus est, quod habeant il-
lustres Bibliothecas, in quibus Manuscripta pręclarissima, quorum
pleraq; sunt antiquiorum Monachorum, asseruantur. 3. *Indices*
habeat, *tum* librorum omnium Generales, qui iam editi sunt non se-
mel & aucti; *tum* illos, qui à celeberrimis in Christiani Orbi Biblio-
polis eduntur idemtidem; *tum* illos, qui à multis nationibus, ac Reli-
giosis ordinibus vulgati sunt, enumerantes Nationum, Ordinumque
peculiarium Scriptores; *tum illos*, qui comprehendunt solos v.g. Phi-
losophos, Medicos &c. vt ex his possit aptiores seligere. 4. *Si Bi-*
bliothecam Manuscriptis quoque velit exornare; Bibliothecarum
manuscriptarum, quæ in plurimis Ciuitatibus apud priuatos quoq;
seruantur, notitiam assequatur: ex his autem selectas nonnulla cu-
rabit describenda; & integras quandoque ex illis Bibliothecas eme-
re, & non multo pretio licebit, si nouerit ad hæredes vel indoctos,
vel plus nummorum, quam librorum auidos, peruenisse. Edidit
cum laude *Iacobus Philippus Tomasinus* Patauinus *Episcopus Æmoniensis*
Bibliothecas *Patauinas* Manuscriptas Publicas, & Priuatas; *Venetas*,
aliasque similes adhuc vulgaturus. 5. *Iuuabit maximè*, aliquod ha-
bere commercium cum Bibliopolis præcipuis, qui sunt *Romæ*, *Vene-*
tijs, *Parisijs*, *Lugduni*, *Antuerpiæ*, *Coloniæ*, *Francofurti*, *Salamanticæ*, *Vli-*
sipone, *Amsterodami*, *Lugduni Batauorum &c.* Vt ex illis intelligat, qui-
nam libri euulgentur in dies, & qui à peritis soleant maiori haberi in
prætio. *Conducet* quoque, vbi aliquis vir doctus ex aliquo remotiori
loco accesserit, illum interrogare, *An* in tali Prouincia, vel Ciuita-
te liber aliquis recenter vulgatus, qui in Sapientum manibus verse-
tur, *Quinam libri* soleant à Sapientibus ibi pluris æstimari &c. *Qua*
commodiore via, minorisq; sumptu illi haberi possent. 6. *Locus Bi-*
bliothecæ. *Primò* Spectet ad Orientem; tum quia vsus matutinum
postulat lumen; tum quia in illo libri, ac tabulæ non putrescent.
Quæcumque enim ad Meridiem, & Occidentem spectant Bibliothe-
cæ, tineis, & humore libros vitiant, atque membranas; quoniam
venti humidi aduenientes eas & alunt, fundentesque humidos spiri-
tus pallore volumina corrumpunt. Sic habet *Vitruu. lib.6. c. 7.* & ex
eo *Caßanæus in Catal. Glor. Mun. Par.* 12. *Consider.* 73. *Secundo* Non
ædificetur in loco Domus, vel Palatij inferiore, tum ad humiditatem
repellendam, tum ad obscuritatem subterfugiendam; neque in loco
Superiori valde sublimi, vt facilior sit accessus. *Tertio* Sit in loco So-
li maximè exposito; ideoq; illius loci fenestræ (quę debent esse am-
plæ) vitreæ partim Orientem, partim Meridianum excipiant Solem.
Quarto Sit in parte Domus à proximarum Viarum, & ipsius quoq;
Domus strepitu remota. *Quinto* Ad illam sit accessus ex aliqua par-
te Domus certa, e qua ad alias non facilis sit aditus, vt citra habi-
tan-

tantium in ea Domo molestiam, minoremq; Bibliothecam adeuntium, frequentantiumq; molestiam, cōmodior ad illam sit accessus. *Sexto* Vel formam referat ampli cuiusdam Atrij, in cuius ostio vbi quis steterit, statim omnes libri illius occurrant aspectui; vel etiam Plures ædificentur quasi Cellæ. Licet illius spatium designari certò non possit, nam pro multitudine librorum ille designandus, Amplius tamen, quam breuius illud designandum; nam prȩterquam noui semper eduntur libri, ac in ea copia, vt qui in singulos vulgantur annos; amplum occupare locum posent, qui Bibliothecas instituere incipiunt, licet solam quamdam pecuniæ summam in libros expendere statuerint, librorum amore, vel Bibliothecæ ornandȩ magis cupiditate capti, copiosiorem sȩpissimè statuunt impendere; pœnitetq; non rarò illos non augustiorem locum ædificasse. *Septimo* sit locus Concameratus, & in superiori parte affabrè depictus, alijsue similibus ornamentis decoratus; nec sua, si adsint intermediæ, columnis desint ornamenta. *Octauo* Duas saltem habeat ianuas: Vnam, per quam externi ingrediātur; alteram, per quam ingrediatur Dominus Palatij, vel Domus; cuius cubiculum saltem, in quo studeat, supponitur esse Bibliothecȩ contiguum. Opportunum quidem foret, vt contermina semper foret Bibliothecȩ cella, in qua externus aliquis commodè, & sine aliorum adeuntium impedimento, & sine suo ab adeuntibus impedimento, in studium incumbere posset. 7. *Scamna sint Primò* E Cupresso, vel nuce, alioue ligno, quod non facile tineas, corrosionesq; admitat. *Secundo* Non sint valdè sublimia, ne illi, qui scalas ascendere cogerentur, in aliquod pericu lum, nominatimq; Vertiginis morbum, incidant: ea saltem sint, vt homo mediocris staturæ alterius scamni non magis elati, quam duos pedes, adminiculo e loco extrahere illos commodè possit. Si prȩ loci angustia id fieri non possit, in superiori scamnorum parte erigatur tabulatum ligneis columnis, vel quo simili exornatum, cui e regione respondeant alia scamna cū libris, quos commode quis e scala lignea eò scandens habere præ manibus queat. *Tertiò* Ita construantur scamna, vt illis libri occludi queant. *Aliqua* quidem adsint semper occlusa, in quibus seruentur manuscripta, & nonnulli libri, qui non debent esse omnibus obuij. *Quarto* sint illa cellulis quibusdam diuisa, partim latioribus, partim angustoribus pro librorum varietate, & in inferiori quidem parte latioribus &c. *Quinto* Depicta, colorataque sint, si e communi, obuioue ligno fiant. Semper quidem ornata sint. *Sexto* Sint ad libellam, & ita vt symetria quædam scamnorum inter se appareat. 8. *In medio Bibliothecæ sint duo*, aut tria scamna lignea concinna cum sedibus suis (satis esse poterit interdum vnum tantummodo latius) atramentario, puluere, calamisq; pluribus, &

quan-

quandoq; etiam carta ad commodum adeuntium. 9. *Libri* emantur. *Primò* Celebrium Auctorum, qui in vnaquaq; facultate magis excelluerunt, ac nominatim eorum, qui Principes sectæ, aut scholæ censentur, cum illustrioribus illorum Interpretibus, aut celeberrimis Viris, qui in illos ediderunt Commentarios. *Secundo* Antiquiorum magis, quam Recentiorum, ac nominatim illorum, qui ex alijs antiquioribus describunt. Illi sunt sapientiæ fontes: hi plerumq; *Riuuli.* Refert *Dom. Grau. c. 16. Cong. Voc. Turtur.* tanquam *optimam, & argutam* responsionem cuiusdam P. Casinensis, qui cum ei à quodam *inflato* Scholare obiectum esset, in insigni Bibliotheca illa nõ nisi vetustos haberi Codices, paucos autem, vel ferè nullos *modernos* à Baeza (*tom. 3 Conc. lib. 14. c. 16.*) exaltatos authores cum illis Codicibus *annexos*, respondit; *Eam esse illius Bibliothecæ excellentiam, quod Originalia, non Copias contineret.* Cum tamen non nisi inuidi, maleuolique negare possit, quin nonnulli à recentioribus etiam conscripti libri sint valde laudabiles, imò aliqui sint etiam antiquioribus nonnullis præferendi, haud laudabile simpliciter foret, quod celebris Bibliotheca e solis antiquioribus conficeretur. Omittendi quidem vt plurimum Recentiores multi, qui librum e libro rescribunt. *Tertio* Sint iuxta Auctorum Originalia; non emendi qui detruncati, vel quibus ab alijs additum, vel demptum quid est, nisi plane additio, vel subtractio innotescat, & cuius hæc sit; ideoq; cautè nunc emendi, qui e nulla Ciuitate prodeunt libri, & maxime, si ex antiquioribus sint. *Quarto* Qui correctiores fuerint, etiamsi maiori emendi pretio. *Quinto,* Qui rotundiori, ampliori, aptioriq; caractere sunt editi. *Sexto* Plures vnà emantur; nam viliori stabunt prætio. *Septimo* Haud te auidum habendi declaret nonnullos libros: Nam maius pretium exigent Bibliopolæ. *Octauo* Selectissimi quidam libri quouis pretio quandoque emendi, nec permittendum, vt occasio labatur. *Nono* Eorum folia sint concinnè annexa, & conglutinata. Gluten adhibeatur, quod tineas nõ admittit, vt cũ aloe. *Decimo* Membrana cooperiantur crassiori vel flaua, vel rubea, vel cerulea &c. Consuetudo multorum est modo, vt libri facilius, & minori cum lesione tractentur, & quasi recenter empti videantur, eos carta tantum crassiori cooperire. *Vndecimo* Ne vnus alteri superimponatur, sed vnus alteri disponatur proximus, cõnexusq; ita tamen vt possit quis leui cũ labore vnũ sine alio inde extrahere. *Duodecimo* Qui facilè propter paruitatem asportari queunt libri, & non sunt obuij, in superiori, remotaque potius parte collocentur, quam in inferiori, omniumq; manibus peruia. 10. *Libri possent* ita disponi, vt certus locus tantũ statuatur. 1. Sacræ Scripturæ Interpretibus; Et *huic quidem Sacro Codici* peculiaris, ac seorsim ab alijs decernendus vna cum approbatis versionibus *Græca,*

Hebraica, Syriaca, Caldaica &c. & cum Versionibus approbatis *ipsius Vulgatæ.* 2. S. Patribus. 3. Theologis Scholasticis. 4. Theologis agitantibus quæstiones Controuersas cum Hæreticis &c. 5. Theologis Moralibus. 6. Concionatorijs, ac Sermonarijs. 7. Philosophis Moralibus. 8. Philosophis nulli sectæ addictis. 9. Aristoteli, eiusque Interpretibus, ac sectatoribus. 10. Platoni, eiusque Interpretibus. 11. Stoicis. 12. Chimicis. 13. Iuris Canonici Doctoribus. 14. Iuris Ciuilis Doctoribus. 15. Medicis. 16. Mathematicis. 17. Tradentibus Pręcepta de Oratoria Facultate. 18. Oratoribus ipsis. 19. Tradentibus Præcepta de Poesi. 20. Poetis ipsis. 21. Tradentibus pręcepta de Historia. 22. Historicis Sacris, siue Ecclesiasticis. 23. Historicis Prophanis, siue sęcularibus. 24. Eruditionem continentibus Ecclesiasticam. 25. Eruditionem cōtinentibus Prophanā. 26. Politicis. 27. Criticis. 28. Grammaticis. 29. Græcis libris. 30. Facetis quibusdam. *Postremò* Variarum linguarum libris. Possent etiam disponi; *Tum* pro Varietate sæculorum, & maximè à nato Christo, vt quisq; Auctor floruerit; Tum vt *Certus* assignaretur locus illis, qui literalem sensum S. Scripturæ proponunt, *Certusq;* illis, qui spirituales illius sensus amplectuntur; Ac *Certus* illis, qui quęstiones agitant in S. Scripturam: *Certus* Patribus Græcis, Certusq; Patribus Latinis: *Certus* Thomistis, Certus Scotistis, Certus Patribus Soc. Iesu &c. *Certus* illis, qui vniuersam Theologiam Moralem agitant, Certus illis, qui de singulis, ac peculiaribus Materijs agunt; *Certus* Logicis, Certus Physicis, Certus Metaphisicis; *Certus* Græcis interpretibus Aristotelis; Certus Interpretibus Latinis; *Certus* Interpretibus Arabibus: *Certus* similiter Interpretibus Platonis tum Gręcis, tum Latinis: *Certus* Vniuersum Ius Canonicum Ius, Certus aliquam illius partem Interpretantibus: *Certus* Medicis Methodicis, Certus Empiricis, siue Spagiricis, siue Chimicis: *Certus* Oratoribus, ac Poetis antiquioribus, Certus recentioribus: *Certus* Historicis vniuersalibus, Certus illis, qui in Italia, Certus illis, qui in Gallia, Hispania, Germania &c. res gestas conscribunt, Certus ijs, qui singularum Ciuitatum Historias habent &c. Hæc, imò & alia amplior subdiuisio fieri facilè posset ab eo, qui peculiarem Bibliothecam e libris maximè spectantibus ad vnam tantum facultatem construeret v.g. qui e Mathematicis, reponere posset in scamno 1. Geometras Scientes. In 2. Geometras Practicos. In 3. Arithmeticos scientes. In 4. Arithmeticos Practicos. In 5. Perspectiuos, siue Opticos scientes. In 6. Perspectiuos Practicos. In 7. Mechanicos scientes. In 8. Mechanicos Practicos. In 9. Musicos sciētes. In 10. Musicos Practicos. In 11. Astronomos scientes. In 12. Meteoroscopios, & Organicos, qui de Instrumentis Astronomicis agunt. 13. Eos qui de

Calculo Astronomico, Tabulisque Astronomicis tractant. 14. Com-
putistas, qui de Calendario agunt. 15. Gnonomonicos, & qui de
Horologijs. 16. Geographos. Addi possunt Astrologi, seu Iudi-
ciarij, secundum quod hi prædicunt illa, quę Agriculturæ, Nauiga-
tioni, ac Medicinæ conferunt. Singulorum ferè, qui in hisce artibus
floruerunt nomina proponit *pars 2.* Apparatus ad Mathematicas ad-
discendas, & promouendas repositi in libro, cui titulus *Sphæra Mun-
di &c.* Edito à *P. Iosepho Blancano Bonon. e Soc. Iesu in Gymnasio Par-
mensi* (in quo ego quoq; à Nouembri 1632. vsq; ad Augustum 1635.
Philosophiam publicè quoscumq; accedẽtes docui, omnibus e Socie-
tate Iesu Scolasticis meis sub finem trienij ex voto quinque illustriũ
Professorum eiusdem Academiæ, vbi illi fuerunt examinati, secreto,
scriptoque admonitis, vt de vniuersa Philosophia disputationes publi-
cas thesibus impressis haberent: *Quæ Laus* a multis annis, sæpe id at-
testante R.P. *Hieronymo Serrauallio* tunc in eadem Academia *Studiorũ
Præfecto*, & Confessario *Serenißi. Odoardi* Parmæ, ac Placentiæ Du-
cis, *Serenissimæq; illius Matris*, nulli Philosophiæ Professori tribui po-
terat; quod & ex libro, in quo huiusmodi iudicia, votaq; reponuntur,
nisi minùs sincerus modò reddatur, facilè haberi potest) celebri Ma-
thematicarum Professori. Pro Diuersitate etiam Nationum v.g. Ita-
lorum, Gallorum, Hispanorum &c. possent illi Disponi. Nequit
certa omnino lex haberi. Scamnorum, Lociq; opportunitas multa
suggeret. Verissimum est, quò magis fuerint diuisi pro materia-
rum varietate libri, eo opportuniores vsui futuros: Licet autem va-
cuę vel ex parte, vel omninò etiam relinquendæ essent cellulæ non-
nullę scamnorum (inter libros enim aliqui sunt, vt dicitur, in folio, alij
in 4. alij in 8. alij in 12. alij in 16 &c. neque fieri potest, vt omnes
eiusdem planè mensuræ respõdentis scamnorum cellulis habeantur)
si tamen distributio erit magis ad vsum idonea, haud laborandum.
Bibliothecæ haud instituuntur ad ornatum, sed ad vtilitatem studio-
sorum. 11. *In Fronte libri* omnibus obuia scribatur Auctoris no-
men, & cognomen, licet plures non ediderit libros, vnà cum signifi-
catione materiæ, attamen breuissimè, de qua agit. *Describatur* postea
in cartula eidem fronti in parte inferiori agglutinata, non verò in
membrana (nam frequens occasio adesse potest hosce permutandi
numeros &c.) numerus 1.2.3. prout liber est in cella repositus; si-
mulq; indicetur eadem cartula scamnum (quod per Alphabeti litte-
ras præstari poterit) in quo ille collocatus; sic enim facilius occur-
rere poterit liber quilibet illum inquirenti. 12. *Triplex* saltem con-
ciatur *Index*. Reponantur in *Primò* Nomina Auctorum: In *Secun-
do* Cognomina; sæpe enim occurrunt hæc primò, & non illa, eaque
ex Alphabeti ordine, exposita breuiter materia, de qua agunt. *Ter-
tius*

Tertius comprehendat materias tum Vniuersales, tum Speciales, significatis Auctoribus ex Alphabeti ordine, qui de illis egerunt, indicataq; cellula (nisi satis esse Primus Index iudicetur) in qua illi reponantur. 13. *Cum eueniat* non raro, vt idem Auctor in eodem libro de Diuersis plane agat, imò & idem liber diuersos Auctores vnà, vel de eadem, vel etiam de Diuersa agentes materia recludat, in Fronte libri omnibus obuia omnes Auctores, ac materiæ exponantur. 14. *Cauendum*, ne libri, dum e sua extrahuntur cellula, vel in ea iterum reponuntur, aliquod patiantur detrimentum, quod facilius accidere posset, cum locus esset valde angustus, vel sublimior, in quo esset reponendus; ideoque par foret, vt Dominus Bibliothecæ, vel illius Custos e cellula conquisitos ab accedentibus libros extraheret, in eaq; iterum collocaret. Ad præcauendum quoque, ne aliquam maculam ex atramento contrahant libri, e quibus nonnulla describuntur, in Bibliothecis adsint scamnula quædam, in quibus veluti stantes libri exponantur, e quorum regione quis stans, illosq; respiciens possit, quæ libuerit, describere. Si nonnullus brachio innixus super libri partem, aliam perlegeret, aut librum apertum alteri aperto imponeret; suauiter monendus est, vt brachium ad se cõtrahat &c. *Aliqui* possunt esse minùs prouidi, maximè alijs detenti occupationibus, & tunc certi studij; *Aliqui* possunt esse minùs accurati eo etiam nomine, quod suis sumptibus libri haud sint empti, cum tam m Æquitas, Honestique mores petant, vt quicumq; sollicitiorem adhibeat operam, ne aliena, quæ sibi est vsui, quam propria res, detrimentum patiatur. Theologi quidem, & Iurisperiti minorem admittunt culpam ad restitutionem obligantem etiam in eo cui *cõmodatum* est quid, si illud auferatur, vel pereat, quam in illo, qui custodit *depositum* ab alio &c. 15. *Libri idemtidem* recognoscendi, ne tineæ, mures &c. eos lædant; à puluere mundandi, leuiter percutiendi &c. Vitandum, ne dum Bibliothecę locus à sordibus purgatur (debet autem ille mundissimus esse, sicuti scamna etiam mundissima) multus excitetur puluis: & eo quidem tempore cellulæ librorum, si non ligneo operculo, saltem tela rubei, siue viridis, siue similis coloris, cooperirentur, esset quam maximè opportunum. Iuuat in singulos annos e suo loco omnes remouere libros bis, aut ter, exactissimè scamna, librosque purgare &c. 16. *Licet facilis* esse debeat cuique ad inuisendam Bibliothecam, & etiam ad ibi vacandum etiam studio certis horis aditus; *animaduertendum tamen*, ne quibusdam ignotis plane hominibus accessus ad illam, aut mora in eadem concedatur, Bibliothecæ Custode non semper illis pręsente; nam furti periculum imminere potest facilè, & maximè, dum insignis Bibliotheca foret, in qua selectissimi quidam Libri, vel Manuscripta (quę non

facilè permittendum, vt illa describantur, nec cuique etiam osten-
denda) insignia asseruarentur: Semper ergo vel Bibliothecæ Custos,
vel fidelis alius adsit, dum aliquis non notus, domesticusq; in ea adest.
Hinc Claui etiam non vulgari obserata sit semper Bibliotheca, dum
nulli adsunt, quæ sola penes Dominum, vel Custodem sit. Explo-
randum identidem, an vlli deficiant libri. 17. *Non facilè Bibliothe-
cæ Dominus* libros iam repositos in Bibliotheca vlli extra Domum
commodet; *non solùm quia* periculum est quandoque surreptionis, siue
non restitutionis, & aliquando macularum &c. *Verum etiam* quia
ipse, alijq; possunt illis indigere. Hinc nonnulli censent, expedire
interdum Voti emissionem de non commodando vlli extra Domum
librum vllum in Bibliotheca repositum. Quod tamen non facilè sua-
dendum. Si censet illum commodare, perscribatur in libello dili-
genter, *Cuinam & Quanam die commodetur*, & *Pro quot dierum spatio*;
quo elapso, si non restituatur, mittat, qui illum reportet Domũ, eiq;
se in posterum difficiliorem exhibeat in commodandis alijs libris, cũ
non steterit promissis de restituendo certo tempore libro. 18. *Quam-
uis* nullus sit fermè liber adeo malus, vt aliqua non habeat bona,
sicuti *nulla falsa doctrina* est (vt *S. August. lib. 2 quest. Euangel. cap. 40.*
habet) *quæ non aliqua vera* misceat; adeoq; in Bibliothecis quibusdam
amplissimis possint reponi omnes fermè libri, qui eduntur, etiãsi parũ
vtiles sint; Communiter tamen Bibliothecæ omnes magis librorum
qualitate, quam numero excellant. Permutandi minùs vtiles, cum
magis vtilibus. 19. *Haud libros Hæreticorum* de Religione tractantes,
vel alios libros Iure prohibitos in Bibliotheca habeat absq; Superio-
rum Facultate; imò hac habita plures ex illis certo in loco, & scam-
no non obuio, imò etiam occluso reponat. 20. *Vt amplificet Biblio-
thecam* minori pro viribus sumptu, aliquando accedat ad loca, in
quibus vænales libri Diebus nominatim festis proponuntur; nam sæ-
pe occurrunt libri vili pretio à dominis empti, qui etiã vili vẽduntur,
& tamen per se grandi ære forent emendi: *Vbi etiam alicuius Viri*
Docti obitus in proximis etiam Ciuitatibus sibi est nunciatus, *inuesti-
get* secreto, an illius hæredes libros relictos vendere velint; interdum
enim centum nummorum aureorum pretium soluitur pro libris, qui
cæteroqui quingentis, & ampliori pretio forent emendi. *Si ipse li-
bros scribat*, edatque, facilè permutatis libris suis cum alijs amplifica-
re breui Bibliothecam poterit. 21. *Ne Construatur* Bibliotheca e so-
lis v.g. libris talis Religionis, talis Nationis &c. *tum quia* videtur fieri
quasi iniuria alijs scriptoribus; *tum quia* congruis enimuero carebit
laudibus. Proferre possit de *Thesauro suo Noua, ac Vetera*; sit veluti *Sa-
gena* omne ferme *genus piscium congregans &c.* ne sinat ea propensio-
ne se pertrahi, vt existimet omnes planè libros ab aliquo hominum
gene-

genere conſcriptos eſſe cæteris præferendos, ingenioſos &c. Multorum ſapientia, iuſto etiam Dei iudicio, ſi hinc inflati euaſiſſent, cæteros deſpicerent, omnes ſuis regere conſilijs vellent &c. deficere in dies poſſet; & licet multi (vt pote numero aucti) multos ederent libros, posteriores tamen nulla ratione videri poſſent comparandi cum editis, qui Doctrinæ famam illis conciliaſſent. Ad cuſtodiendam tamen eamdem famam apud imperitos, vel parum peritos, qui multitudinem potius librorum, quam qualitatem attendunt, vel attendere poſſunt, plurimi poſsent edi, e quibus pleriſq; illa poſsent adaptari Senecæ Ep. 66 *ſpecioſa & magna contra viſentibus, cum ad pondus reuocata ſunt, fallunt.* 22. *Ornari poterit Bibliotheca* in ſuperiori parte Imaginibus, ſiue Iconibus illuſtriſſimorum in quacumque, vel vnica Facultate, ſiue Scientia Virorum (more plurium Alexandriæ, & Pergami Regum, pluriumque Romanorum apud *Plin lib. 35 c. 2.* & *Blondum lib. 8. de Roma Triumph.*) illis viuentibus ſimillimis pro virib. vel ſtatuis eorum vultus repræſentantibus ſuperiori ſcamnorum parti impoſitis. *Si ſtatuerit* in medio Bibliothecæ duos Globos e magis exacte compoſitis, ac delineatis *Cæleſtem, Terrenumq;* exprimentibus Globum: *Si in illa* repoſuerit Inſtrumenta quædam Mathematica illuſtriora, inter quæ etiam Muſica nonnulla inſtrumenta nobiliſſima &c. *Si ibidem* collocauerit *numiſmata*, ac huiuſmodi antiquiora; id tum ornamento, tum vtilitati etiam Bibliothecam adeuntium erit. 23. *Vbi quis illorum emerit* numerum librorum, qui ſatis ſit ad Bibliothecam aliquam illuſtrem reddendam; pro ſuarum modo facultatum in ſingulos annos ſtatuat certam pecuniæ ſummam ad emendos libros alios inſigniores, qui in dies eduntur: Si perpetuos quis voluerint eſse huiuſmodi redditus, licet non fuerint valde copioſi, non plurimorum ſpatio annorum Bibliotheca, licet non illuſtris, euadere poterit illuſtris, imò & inſignis. 24. *Cum ſæpe edantur* libri ab Auctoribus recogniti diligentius, aucti &c. Annotationes, ſiue Scholia in eoſdem ſiue ab Auctoribus, ſiue ab alijs euulgentur &c. hi poſteriores emendi; alij iam empti vendi poterunt, vel permutari cum alijs. 25. *Si quis velit Bibliothecam* celebrem à ſe inſtitutam, ad perpetuam ſui nominis, ſueq; Familiæ Famam, Studioſorum vtilitatem, Patrieq; Decus immortale ſeruari; non niſi hæredibus enimuero doctis illa relinquatur, & ea conditione, vt ſi aliquis diſtrahatur liber, illa ad aliquem Pium locum v.g. magnæ tamen exiſtimationis, & auctoritatis in Ciuitate, intelligatur ſtatim deuoluta; cui Cartam teſtamentariam, ſiue Codicillum de hoc iubeat ab hæredibus præberi, cum obligatione, vt aliquando tali loco Præfecti in ſingulos annos, cum illis prorſus libuerit, Bibliothecam recognoſcant, videantq; *An quid deſit* ex illis, quæ in Bibliothecę Inuentario deſcripta ſunt, & *An libri*

alij empti pro reddituum illius annuorum quantitate &c. Si careat hęredibus doctis, alijs relinquat doctis, cum obligatione, vt illa semper ad Viros Doctos, & qui librorum amantes sint, deuoluatur &c. Secus illius possessionem, siue dominum adituris certis Regularibus Ordinibus: Atq; inter cęteros nominatim qui in studium incumbunt, ex Ordinibus Mendicantibus *Fratribus Prædicatoribus*, *ac Minoribus*; *Clericis Regularibus*, siue Theatinis, quorũ in Italia ea peculiaris laus est, vt in pluribus Ciuitatibus copiosas, ac illustres construant Bibliothecas; ac Patribus *Societatis Iesu*; nam *S. Ignatius* Fundator prudentissimus p. 4. c. 6. §. 7. Constit. vult quidem, vt, *si fieri potest*, in omnibus *Collegijs* præter priuatos libros, *Bibliotheca* habeatur; cuius clauis solum nonnullis iuxta *Rectoris iudicium tradatur*; & l. G. vt *Præfectus Bibliothecæ* adsit; Cui quidem iam peculiares Regulæ in lib. Regul. Societ. statuuntur: At in *lib. Ordin. Præpos. Gener.* c. 16. in quo agitur de Acceptandis Collegijs *nu. 6.* à Fundatore cuiusuis Collegij etiã *Infimi*, in quo Literæ tantum Humaniores doceantur (hoc iuxta formulam à P. *Claudio Aquauiua* Generali explicatam, probatamque à *Congreg. 5. dec. 69.* alere posse debet saltem Triginta e Socijs) exigitur *præparata Bibliotheca*. Imò in *lib. Rat. Stud. Reg. 33. Prouinc.* sic habet. *Ne Nostris* quantum satis est librorũ desit, aliquem reditum annuum, siue ex Collegij ipsius Bonis, siue aliunde, amplificandæ Bibliothecæ attribuat, quem alios in vsus conuertere *nulla ratione liceat*. Vtinam alendorum sociorum nunquam ea sit multitudo, vt non solùm de instituenda, vel amplificanda in Collegijs Bibliotheca parum laboretur; verum & certos redditus ea conditione relictos, siue à Socijs Bonis suis renunciantibus, siue ab Externis, vt in amplificanda Bibliotheca insumantur, Moderatores insumant in subditorum victu, ac Vestitu, nedum in emptione atramenti, atramentariorum, calamorum, cartę &c. pro Scholasticis Societatis; idque vel ex Epicheia, vel ex Facultate, quam e *libro Priuileg. Soc. Verb. Commutatio* §. 4. habent omnes Præpositi, ac Rectores commutandi ex *vno vsu ad alium* necessarium *legata*, quæ relinquuntur Collegijs, ac Domibus (imò & *res donatas per viuentes*) dummodò id fiat sine eorum, ad quos solutio spectat legatorum, vel qui res donarunt, scandalo: Quam commutationem in fine §. *subiungitur*, posse concedere Superiores *Nouitijs*, *sicut & cæteris*: Nam fieret hinc facilè; *Tum vt* in Collegijs, in quibus Superiores Facultates non leguntur, Sacerdotes non tempus vtiliter collocarent (& vt otium quidem illi, vitarent nominatim P. *Aquau. Instruct.* 4. n. 2. *in lib. Instruct.* anno 1590. cupijt, vt *Soc. Sacerdotes paulò magis delectarentur studijs*; & ad id *iuuare* subdidit, si sit *maior copia librorum varij generis* in Collegijs) *Tum vt* multi retardari possent à multis præclarę Societati tribuendis, legandis &c.

Illustrissimo, ac Reuerendissimo D.D.

SCIPIONI PANNOCHESCHI

Ex Comitibus Ilcij;

PISARVM

Vrbis olim Martijs, nunc Palladijs

Artibus insignis

ARCHIEPISCOPO;

Corsicæ, & Sardiniæ Primati, & ibidem Legato Nato;

S.D.N. Papæ Prælato Domestico, & Assistenti;

Ac in toto SERENISS. VENETORVM Dominio

NVNCIO APOSTOLICO;

Ea in Deum Pietate, in Homines Humanitate,

Ad Ecclesiasticos Præsules spectantium nominatim

Scientiarum Peritia,

Christiana in Oeconomicis, Politicisq; Prudẽtia exculto;

Vt si Vniuersæ præficeretur Ecclesiæ,

Probi, Sapientesq; Viri arbitrentur fore,

Vt Mitis Christi, non Seueri Eliæ spiritum præferret,

Christi Legis iugũ suaue, onusq; leue pro virib. redderet;

Oues sibi creditas

Non Suas, sed Christi putaret;

Easque Verbo, Oratione, ac Exemplo pasceret:

Animaduersiones Vigintiquinque

PRO LECTIONES HABENTE IN SCHOLIS

IVLIVS CLEMENS SCOTVS

Placentinus Comes &c.

In Apostolicam SEDEM Obsequij,

In Pontificem Summum INNOCENTIVM X. Obseruantię,

Et in IPSVM Venerationis

Exiguum modò Monumentum,

Ampliora exhibendi cupidissimus

D. D. D.

Caput Secundum.

1 H

ueatq; dili
ipsius caus
opere con
stiorem vi
tem plerur
nere repor
munere su
dij, si in h
geatur, v
lud in ant
verò teneat
ad Profess
æquis, vel
pro viribu
Theologi
Iustitiam
illius fauto
doctrinæ,
Competit
labant; S
tem legal
tis saltem
tum Acade
declarare
rent, ac s
rentur, nu
vel cuiusq
demiarum
tur, & Ci
stribus re
rum mult
ximam.
causa; h
tum Audi
aliam ca
dos; & lic
omittat,
gari ad re

1 H*Abeat ſibi* in inſtituendis *Adoleſcentibus* propoſitam, *tum* Diuini Honoris amplificationem, *tum* Euangelicam in Proximos Caritatem, *tum* earum Vniuerſitatum, ſiue Academiarum, in quibus legit, exiſtimationem: Caueatq; diligenter, ne hæ, ſi maximè e celebrioribus ſint, illius vllam ipſius cauſa faciant iacturam, imò potius illam exaggerare omni opere contendat; *memor*, ſe ab illa obtinere ſtipendia, quæ ad honeſtiorem vitam ducendam inter alios, ſi non honeſtiſſimam ſunt ſaltem plerumq; ſatis, præter famam, ac decus, quod e Profeſſoris munere reportat. 2. *Sæpenumero mente* euoluat, ſe teneri ex Iuſtitia munere ſuo diligenter fungi, & per ſe teneri ad reſtitutionem ſtipendij, ſi in hoc non leuiter, & fermè ſemper peccaret: Imò ſi illud augeatur, videri poſſe adhuc maiori cum diligentia teneri ad id, niſi illud in anteactorum laborum veluti compenſationem tribuatur. *An verò teneatur* ex *Iuſtitia commutatiua* ille, qui minùs aptus, vel ineptus ad Profeſſoris munus obeundum ad illud tamen electus eſt artibus nõ æquis, vel non congruis homini Chriſtiano, vel Ingenuo, reddere ſe pro viribus ad illud munus idoneum, examinent periti, ſincerique Theologi: *Qui* certè non excuſabunt illum à peccato mortali contra Iuſtitiam, & ab aliqua etiam Reſtitutione (quod idem dicendum de illius fautoribus) ſi dolo, aut mendacijs, aut detractionibus aliorum doctrinæ, famæ &c. reuocauerit planè à tribuenda Cathedra alijs Competitoribus, ſiue illis, qui eamdem Cathedrã ſibi concedi poſtulabant; *Sic neq;* excuſabunt illi à peccato graui contra *Iuſtitiam* ſaltem legalem eos, ad quos Cathedrarum diſtributio pertinet, niſi Vitis ſaltem dignis eas decernant: & hi quidem minus publici Boni, *tum Academiarum*, *tum Principum*, quorum partes obeunt, ſe amantes declararent, ſi omiſſis dignioribus, dignos hiſce Cathedris præficerent, ac ſollicitè non inuigilarent, vt ſolùm dignioribus illæ conferrentur, nulla prorſus habita ratione priuati ſui cuiuſlibet commodi, vel cuiuſq; commendationis, repetitarum precum &c. Egregij Academiarum Profeſſores honorem Principibus, quorum ſtipendijs aluntur, & Ciuitatibus in quibus degunt, quæ quandoque ex minus illuſtribus redduntur illuſtriſſimę (pręter emolumenta, quæ ex auditorum multiplicato numero hice afferuntur) conciliant enimuero maximam. 3. *Nullam* e præſcriptis lectionibus omittat, niſi e graui cauſa; hinc enim detrimenta patitur *tum* Academiarum ſplendor, *tum* Auditorum profectus. Quare non fingat vel infirmitatem, vel aliam cauſam per ſe quidem iuſtam ad eos lectionis onere eximendos; & licet ſi duas, aut tres in ſingulos annos e conſuetis lectionibus omittat, non videatur peccare contra Iuſtitiam, adeoque non obligari ad reſtitutionem illis etiam reſpondentis ſtipendij; ſi tamen

fre-

frequenter ex leui causa id præstet, non facilè immunem se ab eo cri-
mine putet. *Neque ad excusandum* se asserat, eos qui studijs præsunt,
parum esse sollicitos, an Professores sæpè lectiones omittant; *Quia*
præterquam iniuria fit huiusmodi Academiarum Moderatoribus,
dum id profertur, quasi ipsi sint minus publici amantes boni; existi-
mant illi iustas re ipsa subesse causas, propter quas Professores lectio-
nes omittant, nec sibi suadere possunt, homines, qui publicis aluntur
stipendijs, & aliquando opiparis valde, & qui exemplo præire debe-
rent cęteris in muneris sui partibus implendis, à recta Fidelitatis, Sin-
ceritatis, ac Iustitiæ etiam semita deflectere. 4. *Haud sit ex illis*, qui
tacitè aliquando impellunt Auditores, vt velint præter præscriptas
iam leges finem lectionibus publicis imponi: In hoc enim peccare
possunt illi, qui *vel* paucissimos habent Auctores, *vel* solū de lucro, sti-
pendioq; sunt solliciti, *vel* non satis ingenio valent, *vel* in studium,
quod exigunt, lectiones incumbere nolunt otio dediti, *vel* qui publi-
corum sunt osores commodorum &c. Nisi enimuerò omnis adhi-
beatur opera, vt suis pręsignatę temporibus habeantur omnino lec-
tiones, breuì posset induci consuetudo, vt vno, vel altero mense
tantum in Scholis pręlegeretur; si enim aliquot annorum spatio fac-
tum est, vt duorum, vel trium mensium spatio omittantur lectiones,
quæ priùs in illis habebātur mensibus; an non fieri poterit breui quo-
que, vt alijs duob. ac trib. ab ijsdem cessetur? quibus mos reparetur
tiquus, si alicubi desijt, non deerunt Prouidis moderatoribus adiu-
menta. 5. *Opportuno tempore* lectiones, quas prælecturi est, paret.
Expedit, antequam pręlegere incipiat, vniuersam præcedenti anno
diligenter euoluisse materiam. *Si* in singulos dies studeat, paretque
habendam lectionem, vt plurimū saltem haud perfectam illius quæ-
stionis notitiam assequetur, & quæ satis sit ad eamdem, vt par esset,
auditorum menti consignandam: Præter quam sæpe impedimenta
incidere queunt, ob quę in illius studiū haud possit incumbere, ne dum
perfectius illam limare. Hinc quoq; facilè omittendarum lectionum
occasio arripi, imò & per se oriri potest. 6. *Illis vacet* lectionibus,
quę opportuniores sunt Auditoribus futuræ, illas omittentes, quæ
vel nulliuis, vel leuis sunt ponderis. Est verum quidem, quod Profes-
sores plerumq; saltem certas pręlegere teneantur materias ex Aca-
demiarum instituto; in his tamen ipsis multa occurrunt, quę bre-
uius, & quę latiùs agitari queunt. Vtiliores latiùs agitandæ. Fuit
Professor Iuris Ciuilis in quadā celebri Vniuersitate Italiæ, qui duo-
rum spatio mensium explicauit tantummodo Titulum libri, varias
eruditiones afferens &c. Sunt Professores Philosophiæ, qui quadra-
ginta & amplius lectiones habent de *Ente rationis*, totidem de *Vniuer-
salibus*, viginti & amplius insumunt in *Explicatione* Particulæ *Ex* ap-
positæ

positæ in Principiorum Naturalium Definitione &c. Fuit id quoq; vitium nonnullorum eloquentiæ Præceptorum à Quintil. lib. 12. cap. post. acerrimè reprehensum. Tenentur Professores quidem Auditorum Literariæ Vtilitati prospicere: *Memores illi esse debent*, Adolescentes sæpissimè extra patriam cum sumptibus non leuibus, & quandoq; supra eorum fortunas, ac Parentum dolore ex absentia, incommodisq; non exiguis sæpè, & interdum etiam cum vitæ periculo degere, & non paucos esse cupidissimos in Scientijs proficiendi, assiduosq; in studio. Non faciant ergo irrita Parentum, Filiorum, eorum qui Academias instituerunt, redditibusque congruis Professores alunt, omniumq; rectè sentientium Vota, menses multos, imò & annos quandoq; rebus ludieris, ac fermè inutilibus tradendis impendētes. 7. *Cardines*, siue *Principia materiæ*, vel materiarum, de quibus habiturus est lectiones, notissima habeat; obseruetq; diligenter, *In quo sit difficultatis nodus*; Quæ *maximè conducunt* ad Probationem sententię, cui iam perpensis vtrimq; rationibus adhęrere statuit; & vt *Probationes*, quas amplectitur, aut excogitat, sint huiusmodi, vt ex illis facilè Auditores contrariorū solutionem habeant. 8. *Animaduertat*, se teneri (nisi fiat exercendi ingenij causa, & in paucis leuissimiq; ponderis) proponere Opiniones saltem Probabiles; & in multis spectantibus ad Medicinam, ad Ius Canonicum, ac Ciuile vt plurimum Opiniones Probabiliores, vel saltem illas indicare. Erit autem *periti* Professoris secernere Probabiles ab Improbabilibus, & *peritissimi* Probabiles à Probabiliorib. 9. *Vt firmiorem*, exactioremq; notitiam acquirat Professor illorum, quæ traditurus est in lectione, si non integras lectiones, præcipua saltem capita calamo describere erit vtilissimum. Licet memoria suffragetur, non ad omnia verba se alliget; *tum quia* non semper eam memoriæ mandandi perfectè erit opportunitas, adeoq; *tunc obliuio vnius eorum cuiuslibet*, aut *deformem hæsitationem*, aut *etiam silentium inducet*, vt habet *Quintil. lib.* 11. *c.* 2. *tum quia* procedente ætate eadem non valebit memoria, adeoq; minùs aptas illas habebit, cum Auditorum detrimento, & suæ dignitatis auctoritatisque iactura, vel etiam omittere cogetur quandoque. 10. *Animaduertat*, paucos Auditores esse sublimis ingenij, plures mediocris, ac plurimos infra ingenij quoque mediocritatem. Horum captui lectiones vt plurimum accommodet. Auditorum captum nunquam illæ superent; secus imperitię & imprudentię accusabitur. Opportuna sunt Quintil. lib. 2. c. 3. verba. *Hunc disertum Præceptorem, prudentem quoque, & non ignarum docendi esse oportebit, summittentem se ad mensuram discentis: vt velocissimus quisque si forte iter cum paruulo faciat, det manum, & gradum suum minuat*, nec *procedat vltra, quam comes possit.* Nec ex eo quod facilè aliqua ipse, dum in Scientiarū studia incumberet ado-

lescens, perceperit, idem sibi suadeat de illis, qui ipsum audiunt. Si
autem ipse difficultatem expertus fuerit in acquirenda nonnullorum
notitia optassetq; vt suus Professor magis se ipsius intelligentiæ con-
formasset, hęc memoria repetens, suisq; compatiens Auditoribus, eo-
rum se conformet etiam intelligentiæ. Vt autem id assequatur, post
lectionem primis diebus aliquot ex Auditoribus *interroget*, *Quid ex*
lectione didicerint; & quoadusq; communiter Auditores (nam de pau-
cis haud est laborandum) ea, quæ habet in lectione, satis & commo-
dè percepisse non cognouerit, à clarioribus semper verbis illa expli-
canda haud desistat. Insistat verò mori, quem deprehenderit esse
opportunissimum ad notitiam eorum, quæ in lectionibus tradit, au-
dit. menti impertiendam. 11. *Licet* & ad Academiæ Honorem, &
ad existimationem etiam Professori maiorem conciliandam condu-
cere possit habere lectiones valde eruditas, disertas, multumque ela-
boratas, & quæ communem Auditorum suorum intelligentiam supe-
rent; *hæ tamen perraræ sint*: Auditores suos docere illius sunt Partes.
Haud is labor impendendus in lectionum Studio, vt illæ magis com-
tæ, ornatæq; sint, quod plures omittere cogatur, eò quòd ferendo il-
li assiduo oneri sint impares corporis vires; satis est, si plurimæ sint
Auditorum suorum Corona dignæ. Nunquam commendabitur, qui
velit annuere vnius, vel alterius ex Auditoribus cupiditati, aut intel-
ligentiæ in habendis lectionibus. Gymnasiorum Moderatores, Aca-
demiarum Instituta exigunt, vt minus elaboratę habeantur lectiones
præscriptis diebus, quam valde elaboratæ paucę, adeoq; multorum
spatio dierum illius facultatis lectiones cessent; Quod eò grauiori in-
commodo Academijs foret, si e nimio Professoris labore ille infir-
mitatem contraheret, adeoq; mensibus etiam integris illa omittenda
foret lectio. Nec *meritò laudabitur* ille etiam, qui cum adest honora-
rius aliquis, siue extra ordinem Auditor, lectionem habet Auditorū
suorum intelligentię haud congruam: Non erit tamen vituperandus,
si paucula addat eorum intelligentiam exuperantia in gratiam val-
de periti, ac sapientissimi *noui istius Auditoris*; qui si prudens fuerit,
laudabit tunc maximè Professorem, si lectionem audierit discentium
mensurę accommodam. 12. *Antequam habiturus* sit lectionem, licet
eam scripserit integram, iterum meditetur, siue recognoscat, inuesti-
getq; an quid addi possit saltem ad maiorē doctrinę explicationem
atq; perspicuitatem. Matutinę lectiones vespertinis horis, Pomeri-
dianæ Antemeridianis horis recognosci possent. Per se fugiendę có-
fabulationes, siue collocutiones de rebus etiam literarijs tempore,
quod paulò post subsequi debet lectio: sollicitus esse debet Professor
de illa semper magis accuratè, & exactè habenda. 13. *Ordinem sibi*
præfigat in lectionibus habendis, eumq; semper seruare conetur. Se-
ligat

ligat faciliorem, & qui magis dilucide doctrinam vniuersam ob Auditorum oculos ponit. 14. *Habiturus* lectionem, salutatis prius humaniter Auditoribus, Diuinaq; implorata ope. *Primò* significet, de quo habenda sit lectio. *Secundò* Sensum quæstionis clarè explicet, tradita diligenter terminorum significatione, quę ad illius intelligentiam sit necessaria. *Tertiò* Sententias referat *celebrium* Auctorum: Nā Sapienter *Quintil. lib.* 1. *c.* 8. inquit. *Persequi quod quisque vnquam, vel contemptissimorum hominum dixerit, aut nimiæ miseriæ, aut inanis iactantiæ est; & detinet, atq; obruit ingenia melius alijs vacatura. Quartò:* Indicet clarè, in quo reposita sit inter Auctores controuersia. *Quintò* Suam proponat sententiam cum suis Probationibus, quę sint paucę, & ex firmioribus. *Sextò* Obiectiones singulas distinctè soluat. *Septimò* Inmuat quę pręcipuè animaduertenda, ad Difficultatis solutionem. *Octauo* Versus lectionis finem illam, quasi in compendium contrahat, ac seorsim dilucidè explicet, hoc discendum esse *primò* loco, illud *secundo &c.* 15. *Cum & Veritates* saltem pleræque soleant esse occultæ, & Auctores sępe, quorum textus, vel pronunciata explicantur in Scholis, soleant esse obscurioris styli, *Perspicuitatis* in sua lectione sit maximè amans Professor, ne imperuia sit Veritatis indagatio. Hinc non Metaphoricis, vtatur vocibus, sed proprijs, non e linguę Latinę Thesauro, siue Promptuario depromptis, sed ex vniuiusq: Facultatis, seu Scientię Dictionario, seu Lexicon, quod Professor quicumq; habeat, diligenterq; euoluat: Vocū Connexio non sit elaborata, sed facilè occurrens; potiusq; contra aliquas Grammaticę, seu Latinæ linguę leges peccet, quam Auditores Communiter ipsum non intelligant. Sibi accōmodet Professor quod ait *Quintil. in fine Proem. lib.* 8 *Sit igitur cura elocutionis* (instituit ille Oratorem) *quam maxima*, dum sciamus tamen *nihil verborum causa esse faciendum, cum verba ipsa rerum gratia sint reperta.* Quorum ea sunt maximè *Probabilia*, Quę *sensum animi nostri optimè promunt, atque in animis iudicum* (Discipulorum) *quod volumus efficiunt.* Qui & prius illud ex *Cic.* 1. *de Orat. in Prol.* attu erat, *In dicendo vitium, vel maximum esse à vulgari genere orationis, atq, à consuetudine communis sensus abhorrere* Habet autem quęcumq; Scientias suas proprias Voces: habent cuiusq; Facultatis Sapientes vulgares, consuetosque loquendi modos in spectantibus ad Facultatem, quā Profitentur. Vitium esset in superiorum Facultatum Professoribus si eorum oratio instar Oratorū esset *Copiosa, elegans, ornata, numerosa &c.* Monilibus & margaritis, ac veste longa, quę sunt ornamenta fœminarū, deformātur Viri; nec habitus triumphalis, quo nihil excogitari potest augustius, fœminas decet, vt habet idem c. 1. lib. 11. Qui post multa subdit. Ipsum etiam eloquentię genus alios aliud decet &c. addit postea; *Philosophiam ex professo* (vt

quidam faciunt) oſtentantibus, parum decori ſunt plerique orationis ornatus, maximeq; ex affectibus, quos illi vitia dicunt. Verba quoq; iſquiſitiora, & compoſitio numeroſa tali propoſito diuerſa. Haud minus cauendum, quod Oratio ſcientifici ſit impura, & inculta, vt ad riſum, imò & indignationem merito audientes inducat, quam quod ſit elegans, & ornata, quæ auditores detineat, vel arripiat, ne latentem inſpiciant Veritatem: & in hoc quidē Vitium facilè labi poſsunt, qui in Oratoria Facultate laudem aliquam habent. Tutiſſima ferè per medium via, quia vtriuſq; vltimum vitium eſt. 16. *Potius late, quam breuiter* doctrinam explicet. Breuitas ſæpè obſcuritatis Parens eſt. Nonnulla maioris pōderis, & quę difficilius intelligentię receſsus peruadunt, bis, ac ter etiam repetat. Aliqui Textus, & Auctoritates etiam celebriores, non ſemel, vt plurimum, afferendę. Aliqua quandoq; communi etiam idiomate proferre non erit vituperabile. 17. *Pauciores materias* potiùs diligenter explicet, quam plures proponat inchoatas, & quaſi deguſtandas. Nam illæ *plus proderunt*, vt c.5. lib.10. Quintil. iam animaduertit. 18. *Dilucidè pronunciet*; hoc eſt tota verba exigat, quorum pars deuorari, pars deſtitui ſolet, pleriſque extremas ſyllabas non proferentibus, dum priorum ſono indulgent: Sicut illi non omnes computandę, & velut annumerandæ literæ; nam hoc moleſtum, & odioſum teſte eodem Quintil. lib. 11. c.3. Ita more Oratorio eorum non feratur, fluatq; locutio. Profeſsoris Grauitas, ac Dignitas materię, de qua agitur, aliud pronunciandi Genus ab Oratoribus poſtulant. Non ſit illius pronunciatio *Clamoſa*, quia id inſanum eſt, moleſtiſſimumq; nec *Submiſſa*, quia debilitatur intentio Auditorum, nedum ad multorum aures peruenire poterit: Nec *Volubilis*, quia diſtinctio perit, & non numquam etiam verba aliqua ſui parte fraudantur; nec *Tarda* nimis; nam & difficultatem inueniendi fatetur, & ſegnitie ſoluit animos; nec *inæqualis*, hoc eſt ſubſultans Imparibus ſpatijs, ac ſonis; neq; *Cantitans*: Si reprehenſibile hoc vitium eſt valde in Oratore tum Prophano, tū Eccleſiaſtico (& tamen pleriq; Concionatores maximè e Certo Ordine in hoc peccant) an non magis in Profeſſore, qui exedrā ſolùm aſcendit Scientificas traditurus Veritates? Eius *Actio* ſit Grauis; manuum *Geſtus* ſit valde moderatus: Potius *ſedeat*, quam ſtet, vel in exedra perambulet; Caput ſit rectum, & ſecundum naturam: Nam & deiecto *humilitas* (vt habet ibidem *Quintil*) & ſupino *arrogantia*, & in latus inclinato *Languor*, & præduro ac rigente *barbaria* quędam mentis oſtenditur, vt teſtatur ibidem *Quintil* 19 *Licet obſcænitas* non à Verbis tantùm in Profeſſore abeſſe debeat, verum etiam à ſignificatione (quod Oratorem ipſum *Quintil. lib 6.c.3 & lib.8.c 2. ac 3.* monuit) attamen cum Theologiæ maximè Moralis, Philoſophię, Medicinę, ac Iuris Vtriuſque

Pro-

Professores quandoq; cogantur quædam docere, quę minus honestissimas quorumdam mentes vel audire decens videri potest; *Ne sint nimij in illorum explicatione, & breuitatis sint studiosi potius; & honestiorem semper inter multas appellationem assumant.* Multa quidem reseruanda sunt priuatæ Auditorum lectioni, non in Scholis explicanda. 20. *Non amore tantummodò*, verum *etiam debito honore* Auditores suos prosequatur Professor. Contra illos nunquam inuehat acerbis, iniuriosisq; verbis, si quid etiam minus decens dicant, aut efficiant, nisi huiusmodi sit auctoritatis, vt illius verba, vel motus, gestusq; satis sint ad illos moderandos: Periculum esse potest, ne reprehensione, præcipuè asperiore, exacerbati magis indecora proferant, aut efficiant. Potiùs interdum orandi sunt, ne saltem se presente talia præstent &c. *Dissimulanda* etiam nonnulla, eo etiam nomine, ne discoli eadem prosequantur ad ipsum męrore afficiendum &c. *Nunquam certè reprehendat multos*, sed vnum vel alterum ad summum; tunc verò cæterorum potius amorem sibi conciliet, vel magis conciliet eos laudando &c. Facilè autem sibi vbiq; venerationem conciliabit Professor; *Si Auditores* cognouerint, ipsum esse *Virum Pium*, nec quibusdam maximè Vitijs contaminatum; *esse* in Scientia, quam tradit, illustrissimum, ac in Docendo Peritissimum; *esse* Honestissimis Ortum Parentibus; Maturę ætatis; *Bene* Morigeratũ; *Hilarem* quamdam Grauitatem in vultu præferre; *esse* Affabilem; *non nimis* sibi tribuere, & à fastu quodam esse alienum; *suum cuique* honorem tribuere; *esse* Discipulorum profectus amantissimum, *eorumq;* Cõmodis, etiam præter literaria, pro viribus consulere &c. Ne vnquam tamen Professor patrocinium suscipiat Auditoris alicuius prauis Moribus imbuti, aut à Studio alieni, aliosq; à probitatis, vel studij semita retrahentis: Imò si quem certò huiusmodi nouerit, secreto potiùs obsecret Acad. *Moderatores*, vt illum e Ciuitate dimittant, minori tamen quam fieri possit, amicorum illius, aliorumq; perturbatione; quod facilè fieri potest, si nomine Principis iubeatur intra tot horarum, vel dierum spatio e tali Ciuitate, vel etiam quandoq; ditione recedere, secus perpetui Carceris, vel Capitis &c. pœnam subiturus. 21. *Peracta* lectione, salutat sque pro more Auditoribus ad Scholæ fores, vel in proximo Scholis loco, ne legentes alios Professores perturbet (nisi necessitas abeundi quandoq; vrgeat) pedem figat, interrogantibusq; Auditoribus, siue de præsenti lectione, siue de præcedentibus responsionem benignissimè prębeat: Omnibus autem det interrogandi locum, nec solum nobilioribus quibusdam, vel Ditioribus; qui non rarò etiam minùs in Scientijs proficiunt, quam minùs nobiles ac Diuites, imò potius hosce vltro accersat, si non auderent hi accedere illis interrogantibus: Si non potest æquè omnibus ea die satisfacere, in

aliam

aliam differat, vel se cõueniri in Domo ad certam horam iubeat. *Erit*
etiam laudabile, si nonnullos etiam ipse vltrò *Interroget*, Quid didice-
rint; *Vrgeat* solutionem à se datam &c. & cum nonnullis etiam, quos
nouerit esse aptissimos præ alijs ad progressus miros in Scientijs fa-
ciendos, & ad Studium propensissimos, relaxationis causa extra Do-
mum concedat, peculiaria quædam hoc tempore illos docens &c.
22. *Disputationibus quoq;* siue in sua Domo, siue in alio priuato, publi-
coue loco pro Auditorum captu exerceat illos: Velit autem seruari
exactè leges Disputantium, circa quas nonnulla dicentur infra c. 7.
& 8 In priuatis autem suorum Auditorum Disputationibus velit, vt
potius illi sint copiosi, quam *inopes* in argumentis, ac responsionibus.
Fœcunditas, quam in Adolescente futuro Oratore laudauit *Cic. lib. 2.*
de Orat. laudanda in Adolescente Scientifico futuro à Professore; cui
in mentem reuocari possunt illa *Quintil. verba lib. 2. c. 4. Melior est in-*
doles læta, generosique conatus, & vel *plura iusto concipiens interim spiritus.*
Nec vnquam in his discentis annis offendat, si quid superfuerit. Quin *ipsis*
Doctoribus hoc esse curæ velim, vt teneras adhuc mentes more nutricum
mollius alant, & satiari velut quodã iucundioris disciplinæ lacte pa-
tiantur. Erit illud plenius corpus, quod mox *adulta ætas adstringat*,
& post pauca. *Materiam eße primum volo vel abundantiorem*, atq; vltra,
quam oporteat, fusam. *Multum inde decoquent anni; multum ratio lima-*
bit, aliquid velut vsu ipso deteretur &c. Non sit nimis seuerus in emen-
dandis illis, quæ etiã correctione digna sunt in Arguente, vel Respon-
dente. Haud videri queunt magis ad id opportuna, quã *Quintil.* eius-
dem verba Sciẽtiarum Professori accõmodanda. *Ne illud quidẽ*, quod
admoneamus, indignum est, *Ingenia Puerorum* (Adolescentum) *nimia*
interim emendationis seueritate deficere; nam & desperant, & dolent, &
nouissimè oderunt; & quod maximè nocet, dum omnia timent, nihil
conantur. Quod etiam rusticis notum est, qui frondibus teneris nõ pu-
tant esse adhibendam falcem, quia reformidare ferrum videntur, &
cicatricem nondum pati posse. *Iucundus* ergo tum maximè esse debet
Pręceptor, vt remedia quę alioqui natura sunt aspera, molli manu le-
niantur; *laudare aliqua, ferre quædam, mutare etiam, reddita cur ita fiat ra-*
tione, illuminare interponendo aliquid sui. Nonnunquam hoc quoq; erit
vtile, totas ipsas *dictare materias* (argumentationes, ac responsiones)
quas & imitetur *puer* (Adolescens) *& interim* tanquam suas amet. At
si tam negligens ei *stylus* (Argumẽtatio, vel Respõsio) *fuerit*, vt emen-
dationem non recipiat, expertus sum prodesse, quoties eamdẽ mate-
riam rursus à me tractatam scribere de integro *iuberem* (de integro
iubendus cõficere Argumentationem, ac Responsionem afferre Ado-
lescens) *posse enim eum adhuc melius*, quatenus nullo magis studia, quã
spe gaudent. Aliter autem alia ætas emendanda est, & *pro modo virium*
(quæ

(quę certè inęquales sunt in auspicāte scientias, & in illo, qui diuturniori tempore illis vacauit) *exigendum*, & *corrigendum opus.* Solebam ego dicere pueris aliquid ausis licentius, aut lætius, laudare illud me adhuc; *venturum tempus, quo idem non permitterem: ita & ingenio gaudebant, & iudicio non fallebantur.* Hæc ille, docens posse quædam indulgeri Adolescentibus initio Disciplinarum ita tamen vt admoneantur verè in Scientificis hominibus haud fore laudabilia. 23. *Ne Professor* ita in scribendis, euulgandisq; libris operam collocet suam, vt lectiones minùs accuratas, pro more, ingenioq; suo habere cogatur. Illud haud exigitur à Professore, quatenus talis est, nec propter illud stipendia à Principe obtinet. Cæteris quidem paribus pręferendi sunt illi, qui cum laude & lectiones publicas habent in Academijs, atq; libros edunt; imò hi maiori stipendio per se digni sunt. Nunquā tamen præficiendi Cathedris, qui tantum habiles sunt ad edendos libros, etiam præclarissimos, si parum apti, vel inepti sunt ad Docentis munus obeundum. Ad vtrumq; habilitatem haud facile est in eodem reperire summam. 24. *Licet ingeniorum æmulatio* inter Professores ipsos valde laudabilis sit, vnde & diuersæ Schole, siue sectæ circa eamdem quoq; Scientiam in celeberrimis etiam admittuntur Academijs; hinc enim acuitur ingenium, tum ipsorum Professorum, tum Auditorum quoq; & ad assequendam veritatem via magis apertur: *Vnicuiq; tamen Professori cauendum*, ne nisi honorificè de *alio Professore* in opinionibus etiam sibi dissentiente loquatur; *Ab omnibus* plane verbis, quæ odium, vel inuidiam quocūq; modo præferant, abstineat sollicitè; *Illi* omnis obseruantię e simul, atq; amoris argumenta, maximè præsentibus illius Auditoribus, exhibeat; *Cum illo* familiariter colloquatur; *Illius* commodis pro viribus inseruiat; *Ita se gerat*, vt omnes norint, esse quidem in *Intellectu dißensionem magnam*; At in *Voluntatibus contentionem maximam.* Hinc reprehendat, imò & à suo quandoq; remoueat aspectu (saltem sibi esse id ingratissimum manifestet) Auditores suos, qui cōtra alium Professorem obloquerentur, vel se minori in pretio pro illius merito se habere significarent. *Cum verò* voce, scriptis, aut libris oppugnare ad literariæ reipublicæ commodum illius opiniones vult, *Videat* præsertim; *vt* verba sint *Arma Iuris non furoris*. Ne *laceßat, quem lædere sit periculosum, ne aut inimicitiæ graues insequantur, aut turpis satisfatio*, vt ait Quintil. lib. 6 c. 3. aut dedecus potius reporret, *quidam* enim eodem teste *ita sunt receptæ auctoritatis, vt nocitura sit in eos dicendi petulantia*; Dicacitatem *Scurrilem & Scenicam* sibi alienissimam putet, prorsusq; existimet, plurimum sibi auctoritatis, ac fidei detrahi, cum in *Rabulam, latratoremq;* conuertitur, vt monet *idem lib* 12. c 9 qui pręclarè illa addidit; *Quæ fortia, dum dicuntur, videbantur, stulta cum læserunt, vocātur.* Dum quidem alium oppugnat,

hoc

hoc Duo vitet nominatim, *ne vquam arguat quicquã in alio, quod adhuc*
reprehenditur in ipso; *nam hoc improbum est*, vt habet *Isid. lib.* 3. *de Som.*
c. 23. & *Ne* qui se propugnabit, iure illud *S. Hieronymi* contra *Ruffi-*
num contorquere possit contra ipsum, *Dum dicis*, quod *non deberes, ab-*
dis quod non vis. 25. *Si e linguæ* impedimento, vel pręsenti corporis cõ-
stitutione, vel alia simili de causa se non aptum norit ad alios Scien-
tijs imbuendos in Academijs, vnde & se ab omnibus ferè Auditori-
bus derelictum videat, petat à studij Moderatoribus enixè, vt alium
suo loco substituant: Indecorum quidem est tum ipsi, tum Academię
toti, si Professor publicus in celebri aliqua Vniuersitate à Scolasticis
frequentata duos, aut tres Auditores habeat; vel si plures habeat,
emendicatis precibus, vel etiam oblatis muneribus, datoue stipen-
dio, alijsq; non æquis artibus illorum præsentia fruatur in Scholis;
vel si ex eo quod non adsint Auditores, qui tamen alijs adsunt Pro-
fessoribus, ipse lectiones plerumq; saltem omittere cogatur. *Si venu-*
ant Moderatores iustis e causis; vt stipendij saltem partem alteri tri-
buant, qui ipsius vices subeat, publici amans boni omni opera con-
tendat: Quod idem si præstaret, qui ex infirmitate, vel senio amplius
non est idoneus, aut vix idoneus ad Professoris munus, vt antea, cum
laude exercendum, summam cõsequeretur laudem: Et decet quidem
prudentem Professorem prospicere; ne aliqui ipsum audientes *ri-*
deant, alij *erubescant*, & ne occasio sit vllis dicendi, *malle eum defice-*
re, quam desinere, vt habet Quintil. cap. postr. lib. 12. qui subdit. *Quare*
antequam in has ætatis veniat insidias, receptui canet, & in portum
integra naue *perueniet*. Poterit tunc libros scribere, aut perficere; aut
optimis, selectisq; ingenio, ac studio iuuenibus scientiarum arcana
quædam patefaciet. *Hos ille formabit quasi* Philosophiæ, Theologiæ
Iuris &c. *Parens, & vt vetus Gubernator* (præclarissima sunt eiusdem
Quintil verba) *Littora*, & portus, & quę tempestatum signa, quid se-
cundis flatibus, quid aduersis ratis poscat (quę possunt scientijs opti-
me accommodari) docebit; nõ Humanitatis solum communi ductus
officio, sed amore quodam operis; Nemo enim minui velit id, in quo
maximus fuit.



Admodum Reuerendo Patri

LEONI SANCTIO

Senensi e Nobilissima IESV Societate;
Serenissimi ODOARDI Placentiæ, ac Parmæ Ducis
Lectissimo Præceptori;
In Oratoria, ac Poetica Facultate
(Vt Editi iam testantur Libri)
Præstantissimo;
In Celebri ROMANA Societatis Iesu ACADEMIA
Philosophiæ, ac Theologiæ
Ingeniosissimo Professori;
Ibique tandem
Sapientissimo *Studiorum Omnium* Præfecto;
Humanissimo in Philosophicis Magistro:

Admodumque Reuerendo Patri Domno

FRANCISCO MARIÆ PICINIO

Veneto Clerico Regulari;
Cui Sapientis Theologiæ Professoris, Prouidi Præsidis,
Eruditi Concionatoris, Prudentis Confessarij,
Virique Officiosissimi
Laudes meritò debentur:
Animaduersiones Vigintiquinque
PRO LECTIONES IN SCHOLIS DICTANTE
IVLIVS CLEMENS SCOTVS
Placentinus Comes &c.
Ab Ingrati Animi Vitio
In Optimè de se Meritos
Semper Remotissimus
D. D. D.

Caput Tertium.

1 N

cipiunt,
fecus hi
2. *Haud*
ingenij
bijciunt
aliorum
rumue a
riti, au
fcriben
giunt h
non ad
nulli, q
profiten
ac reliq
re cæpe
verfati.
inualuit
fectu, I
bus, de
Præf. in
effe ad n
lic. I. *&*
bet; *Si*
benda tu
optandum
Catholi
abfq; ec
in prefen
habet a
prepone
illis amp
gerent,
tradunt
riffimum
magis la
fcripta,
effe con
ditur, la

1 N*On Scripta* æternæ Auditorum consignare memoriæ, aut ingentia Scriptorum Volumina conficere, eaq; dare describenda ad aliquam sibi ab imperitis Iuuen bus comparandam laudem, sed verum illorum, qui lectiones excipiunt, profectum hoc dictandarum lectionum adiumento (quando secus hic, vel non adeò præstans haberi posset) prę oculis habeat.

2. *Haud aliornm Scripta*, seu *Dictata* det Auctoribus describenda, quasi ingenij sui partus. Indicet, cuius sint. Improbæ mulieres spurios subijciunt Partus. Sæpè nonnullorum Imperitia deprehenditur, qui aliorum furantes, vel ementes scripta, vel ab Auctoribus suis, eorumue auditoribus ea sumentes, dictant illa eadem, suntq; vel imperiti, aut leuiter periti illius Scientiæ, de qua lectiones dant alijs describendas; ideoque si de nonnullis etiam dictatis interrogentur (fugiunt hi huiusmodi interrogationes, multoque magis disputationes) non ad rem, ac ineptissimè vt plurimum saltem, respondent. Nonnulli, qui se Grammaticæ, Humaniorumque literarum Magistros profitentur (vtinam satis hisce forent instructi artibus!) Logicam, ac reliquas Philosophiæ partes, imò & Theologiam quandoq; docere cæperunt, in quibus scientijs sunt, vel plane hospites, aut leuissimè versati. Dictata nominatim à *Patribus Societatis Iesu* (apud quos iam inualuit mos lectiones dictandi cum multo auditorum, vt aiunt, profectu, licet minùs ille arriserit Patribus eiusdem Societ. antiquioribus, de quo legi possunt inter cæteros *Posseu. Bibl. Sel. lib.* 1 *.c.* 7. *Tolet. Præf. in* Phys. *lib. ac Mariana de Reg. Soc. c.* 6. videturq; hic mos non esse ad mentem S. Fundatoris, vt colligitur ex *p.* 4. *Constit. c.* 6. §. 8. *lit.* I. *&* §. 16. *& lit.* M. N. O. & Reg. 9. *Profess. Super. Facult.* sic habet; *Si quis* citra dictationem ita docere potest, vt quæcumq; scribenda sunt, commodè valeant ab Auditoribus excipi, is ne dictet, *optandum*; experiẽtia autem patere nonnulli asserunt in Celeberrimis Catholici Orbis Academijs satis profecisse, ac proficere Scolasticos absq; eo, quod huiusmodi dictatas excipiant lectiones: de hoc autem in pręsentia non est contendendum, nam quicumque mos multa sibi habet annexa, tum commoda, tum incommoda; quænam autem pręponderent, *Quis statuet*? nam non deerunt semper; qui vnum ex illis amplectentes morem, illius cõmoda, & alterius incõmoda exaggerent, nouaq; etiam excogitent) Auditorib. suis describenda plures tradunt, cum tamen Scientiarum fores vix à limine salutauerint. *Verissimum illud est*, nõ paucos, qui mediocriter in Scientijs profecerunt, magis laudabiliter Professoris partes impleturos, si aliena dictarent scripta, quam si propria; *tum quia* facilè doctrina ipsorum potest non esse connexa; *tum quia* iam factum est periculum doctrinæ, quæ traditur, laudataq; vt solida, sana, consequens &c. *tum quia* faciliùs hęc

Profeſsoris menti inſidere poteſt, præcipuè ſi tradat lectiones à ſuo (ſi egregius fuerit) Præceptore dictatas; *tum quia* poteſt in illius diuturniori tempore incumbere ſtudium, adeoque illam maiori cum approbatione, ac laude Auditoribus ſuis declarare &c. *Qui autem aliena dictat Scripta*, ea ad vnguem, & correctiſſimè deſcripta habere ſtudeat, & ſi ſæpius eadem dictauit, ea quæ poſtremo dictauit loco; Hęc etiam opportunum foret omnia euoluiſse (niſi ſint ſui Pręceptoris, cuius effata in obliuionē non venerint) antequam illa dictare inciperet: vt aptior tum explicatio, tum reſponſio Auditorum Petitionibus exhiberi poſset &c. *Veriſſimū* quoq; fore vt multi Profeſsoris munus aptius, & maiori cum Auditorum profectu exercerent, ſi aliquem Ariſtotelis, S. Thomæ, Scoti &c. Interpretem, ſiue Commentatorem, qui quæſtiones breuiter propoſuiſset ex occaſione textus, prælegeret, dictantes ſolùm quædam recenter excogitata, vel ad confirmationem illius doctrinæ, vel contra illam cum eorum ſolutione &c. *E Patribus Societatis Ieſu* videtur Philoſophia *Franciſci Toleti* poſtea Cardinalis Prudentiſſimi, ac Religioſiſſimi eſse inter cæteras opportuna, quę dicitur fuiſse etiam fuiſse, ex ſuorum Moderatorum præſcripto, ad hunc finem ſcripta ab illo, vt abſtineretur prorſus à conſueto iam in eorum Scholis integras omnino lectiones dictandi more. Legatur ad id illius Proemium in 8. *Phyſicorum* libros. 3. *Ne hinc inde* varia colligat ſcripta, ex quibus ſua deſcribat, ad rationis trutinam haud ſollicitè examinatis illis, quæ ibi legerit; nam facilè in multas labetur inconſequentias: Præterquam huiuſmodi ſcripta propter ſtyli etiam diuerſitatem veſtes nonnullorū pauperrimorum imitari poterunt ex vario veſtium genere, & colore conſutas, vel confarcinatas. 4. *Qui cum laude* ſcripta in Scholis Diſcipulorum Calamo deſcribenda conficere velit, ingenio, iudicioq; nō leui exornatus ſecum. *Primò* Statuat Cuinam Scholæ, vel Sectæ adhærere velit, niſi ipſe velit (quod an poſſit, & cum laude, ſolertiſſimè ſecum & cum alijs peritis, fidelibuſque amicis examinandum eſt) alicuius nouæ Scholæ, aut Sectæ Princeps eſſe: Oportet autē, vt vniuſcuiuſque Scholę, ac Sectæ Prineipia optimè teneat, illam eligens, *quæ* Probabiliora putauerit habere Principia; vel *in quam* magis propenſus eſt, licet Probabilia ſolummodò habeat, quę cum Peritorum tamen laude propugnari poſſint; vel *quæ* facilius veritatis explicare videatur: *Secundò* Illuſtriores talis Sectæ Auctores, ac nominatim Antiquiores euoluat; efficacioreſq; probationes ex illis deſumat. *Tertiò* Perlegat illos, qui vehementius, ac ſolidius illam oppugnarunt Scholam, validioribus argumentis animaduerſis; quibus clariorem pro viribus reſponſionem afferat. *Quartò* ita ſe huic Scholæ addicat, vt ſi in aliquibus Scholas alias magis in Veritatem collimare perſpexerit, il-

lis

lis adhærere velit. Præcaueat verò, ne, dum aliarum quoq; Scholarum in nonnullis Principia admittit, minùs conſequenter ſentiat, ſcribatque. *Quintò* Recentiorum etiam nonnullorum libros, imò, & ſcripta perlegat, qui talis Scholæ placita cum laude vel propugnarint, vel oppugnarint; Multa nec leuis ponderis, Recentiores aliqui addunt. *Sextò* Quæſtionum, ac Materiarum Connexiones attendat; ideoque reflectat ſedulò, an cum nouam aliquam opinionem, vel explicationem admittit in tali materia, *quid conſequenter* ſibi dicendum ſit in alia, quæ cum illa connexionem habet. Sunt aliquę quidem magis nexę, quam alię &c. Quarum peculiaris habenda notitia. *Septimo* Punctum Controuerſię inter Scholas, Sectaſque, Auctoreſq; perſpectiſſimum habeat. *Octauo* Diſtinctiones aliquas, quibus & doctrina dilucidius explicari, & arguentibus reſponderi clarè, & expeditè poſſit, animaduertat ſedulò: Caueat ab illis, quæ non ſunt ad rem, & ſolummodò per ſynonimas traduntur Voces. *Nono* Selectiora, quæ legit, calamo breuiter deſcribat, ad memorię defectui conſulendum: ſeponat autem probationes ab argumentationibus, Diſtinctiones à Pręnotandis &c. *Decimo* Precipuas quęſtiones conferat cum Viro Doctiori aliquo, & qui verſatiſſimus ſit in Principijs Scholarum, Sectarum &c. vt ab eo maximè Cõſequentias in Doctrina diſcat &c. *Si quis ſolùm certæ Scholæ, vel ſectæ poſſit eſſe addictus*, cum tamen ſit ſępè diſſenſio etiam non leuis inter ſectatores eiuſdem Scholę, ac Sectę, qui conueniunt ſępè tantum in quibuſdam Principijs valde Generalibus, hæc, quę modò dicta ſunt, fermè etiam pręſtet: nam nõ ſolùm vnaquęque Schola, ac Secta, vt *Peripatetica*, *Platonica*, *Thomiſtica*, *Scotiſtica &c.* verum etiam peculiares *Peripateticorum*, *Platonicorum*, *Thomiſtarum*, *Scotiſtarum &c.* Sectę ſuas habent peculiares Laudes, Difficultates &c. 5. *Licet non* teneantur Profeſſores, qui in Scholis dictant, prius priuatim lectiones deſcribere, ac illas e ſcripto tradere, laudabilis tamen eſt plurimorum conſuetudo, vt illas e ſcripto iam illas dictent; ſic enim exactius, & maiori cum animaduerſione illa traduntur, danturq; deſcribenda Auditoribus. Aliquando quidem propter temporis anguſtias leuiora nonnulla, & quæ facile poſsunt memorię occurrere, haud deſcribenda à Profeſſore. 6. *Scripturus lectionem* priuatim. *Primò* Explicet terminorum, qui in tali quæſtione vſurpantur, acceptionem communem apud Philoſophos, Theologos, Iuriſtas &c. æquiuocamq; eorum ſignificationem apud celebres Doctores &c. *Secundò* Aperiat Senſum Quęſtionis, ſiue Punctum Difficultatis inter Doctores controuerſum. *Tertiò* Propriam exponat ſententiam cum ſuis Probationibus, paucis, ſed efficacioribus. *Quartò* Afferat præcipuas obiectiones ſiue ab illuſtribus allatas Scriptoribus, ſiue illas alicubi audierit, vel etiam ipſe excogitarit.

Quintò

Quintò Adnotet, ſed breuiter, illa e quibus Difficultatis ſolutio pendet, & quę ſunt veluti Cardines ſolutionis, ac Doctrinæ, ac, ſi fieri poteſt, ea in ſuis Probationibus, vel reſponſionibus quandoque collocet ingenioſe. *Sexto* Sit potius breuis, quam fuſus; neq; enim lectio Philoſophica, Theologica &c. eſt Oratoria, vel habenda ab illo, prout Oratore &c. Tantum verborum ſit, quantum neceſſe eſt, licet hæc breuitas haud laudetur à *Cicerone* 1. *de Orat.* in Oratore. *De pluribus rebus paucas ſcribat ſyllabas* iuxta *Laconicum morem*, de quo S. *Nazianz Ep.* 3. Obſcuritate tamen vitata; quæ ex ſi contracto nimis dicendi genere appareat mediocribus ingenio Auditoribus, quos habet pleroſque, eorum captui indulgens, huiuſmodi Breuitatis *non ſit ſtudioſus* ſemper. Plurima quidem explicanda latius lectioni in Scholis habendæ reſeruet. Erit quidem Breuior; *ſi non* deſcribat opiniones iam penitus antiquatas, & quæ nihil ponderis habent; nihil enim eſt adeò abſurdum, & rationi etiam cuiuſlibet naturali explicata terminorum ſignificatione diſſonum, quod aliquem, etiam Philoſophum, non habuerit aſſertorem: *ſi voces* ſynonimas vitet; *ſi eadem* alibi nó repetat: *ſi declinet* quæſtiones nonnullas momenti parui, aut nullius, vel ex illis aliquas ad ingenij ſolùm exercitationem quam breuiſſimè proponat; *ſi notanda* quædam, ſiue *Animaduertenda*, maximè longiora, miſsa faciat: *ſi in Probationibus*, ac Reſponſionibus Difficultatis *ſi ex* puncto inſiſtat: *ſi Probationes* leues, *Obiectioneſque* leuiores ſileat: *ſi ex alicuius* Probationis, vel Reſponſionis occaſione ad alia, quæ vel leuem, vel remotiſſimam habent connexionem, egreſſiones non faciat: *ſi declinet* Aliorum Impugnationes ex propoſito, & præcipuè fuſiores, nominatimq; illorum, qui in eodem Gymnaſio docuerunt, aut docent: *ſi* duo, aut tria Principia ſaltem Probabiliter intellectui patentia menti fixa habeat, & ex illis omnes fermè ſuas concluſiones deducat: *ſi penitus* omittat quæſtiones Theologicas in Philoſophicis, & e contra &c. Monet quidem §. 3. Reg. 9. Prof. Theolog. Societ. ne Philoſophicas res ex inſtituto tractent, nec ſi de illis neceſſariò mentio facienda, tam diſputent, quam vel ab alijs, vel à ſe explicatas indicēt: *ſi non* ſit nimius in Auctorum citationibus &c. Nunquam verò abſtineat a controuerſis quæſtionibus inter Scholas, Sectaſq; præcipuas, celeberrimoſq; Scriptores afferendis: Potius abſtineat a baſferendis illis, longiori maximè ſermone, quæ Profeſſores in eodem legentes Gymnaſio excogitarunt, vel excogitant, leuis quidem ingenij, leuioriſque iudicij perſæpè partus, illiſq; impugnandis, præcipuè ſi eidem adhæreat ſententiæ, ac tantummodo huiuſmodi Profeſſorum probationes oppugnare velit: Nec velit ingenioſus à minus prudentibus haberi, quęſtiones nonnullas, quæ non immeritò à nonnullis *Capitum fumoſitates* appellantur, more antecedentium Profeſſorum

rum

rum, qui parum ſollicitos re vera ſemet de vero Auditorum profectu exhibuerunt, agitans; cogetur enim, maximè ſi calamum non moderetur, primarias vel nullatenus, vel quaſi in tranſitu exponere; Vnde Auditores e trium, vel quatuor annorum ſpatio impenſo, & cum multis ſumptibus, & cum graui labore in ſcribendo quoque, euadent ſolum Sophiſtæ, vel verę Philoſophiæ, Theologię, Iuris &c. fontes ſe vix prægustaſſe iudicio maiori prędìti intelligent &c. Et negari quidem non poteſt, quin multę Logicæ, ac Metaphyſicæ Quæſtiones nominatim, vel omittendę, vel breuius tractandæ forent in Scholis, quę obſtant ediſcendis quęſtionibus grauiſſimis. 7. *Lectiones omnes*, quas quis habiturus eſt anni ſpatio, eſſet vtiliſſimum pręcedenti annos ſcripſiſse; ſic enim materię omnes haberentur magis perſpectę, lectiones forent magis exactæ, magiſq; breui ſermone comprehenderentur; ſępe enim Profeſſor poteſt protrahere lectionem, quam dictat, eò quod aliam ſubſequentem, vel alias non ſcripſerit, aut ſubſequenti non adhuc ſtuderit quæſtioni, quæratq; ad id tempus &c. Hinc illi cognoſcendus lectionum numerus, quas in ſingulos habiturus eſt annos, vt iuxta illum lectiones ſcribendas moderari poſſit. 8. *Cum experientia teſte eueniat*, vt aliqui re vera aptiſſimi ſint ad explicandam Voce Doctrinam, & ad tradendas alijs Diſciplinas, ſint autem inepti ad eaſdem proprio, vel alieno calamo cõſignandas, propter ſtyli obſcuritatem ingentem adeò, vt Profeſſores in eadem Academia legentes repetito etiam ſtudio lectionum ab Auditoribus deſcriptarum non potuerint aſſequi ſenſum; *ſi quis* huiuſmodi laboret vitio, licet cęteroqui ingenioſiſſimimus, ac pręſtantiſſimus, a dictandis lectionibus prorſus abſtineat. 9. *Lectiones ſcriptas* idemtidem recognoſcat, & maximè cum illas proximè eſt habiturus, ac dictaturus: ſuperuacanea demat; aliqua clarius explicet &c. Sicuti imitari debet Virgilium *more*, atq; *ritu* Vrſino carmina conſcribentem; Ita Memor ſit etiam, dictum à Plinio, *Nimia cura deterit magis, quam emendat*. 10. *Ordinem ſeruet in ſcribenda, dictandaq*; lectione. Secutus ſum hunc morem cum publicè Parmenſi in Academia, ac deinde in Ferrarienſi Gymnaſio ſeptem annorum ſpatio Philoſophiam pręlegi. *Primò* explicato quęſtionis ſenſu, Concluſionem proferebam; dicens, *Vnica Concluſio*, vel *Prima*, *Secunda &c.* Concluſio, prout materia plures ſuggerebat Concluſiones. *Secundo* Expoſitis, ſi qui erant, e celebrioribus Doctoribus, qui mihi fauerent, & qui mihi aduerſarentur indicatiſq; recentiorib. nonnullis, à quibus alij fautores, vel aduerſarij poſſent haberi; Afferebam probationes; enitebar autem in Philoſophia afferre ſemper aliquem textum Ariſtotelis, vel expreſsè, vel tacitè mihi patrocinantem. *Tertiò* Exponebam obiectiones pręcipuas, ſinguliſq; reſponſiones congruas afferebam. *Quartò* Vel Il-

latio-

lationes quasdam, in quibus quandoq; longiùs ab alijs agitatę quęstiones non paucæ soluebantur, vel e quibus ad quorumdam non obuiorũ notitiam ducebatur intellectus; aut etiam distinctiones quasdam, aut quædam ad quæstionis propositæ difficultatem soluendam quam maximè conducentia, breuissimè indicabam. Abstinui autem pro viribus à quibusdam notandis, animaduertendis &c. Multa ex his Probationibus, ac Responsionibus inserebam. Varius potest esse mos; quem quisq; arripuerit, si commodum valde Auditorum captui deprehendat, illũ prosequatur. 11. *Eßet valde commendabile*, vt quis proprio Marte lectionem priuatim conscriberet, posteaque selectos aliquos libros, vel selecta manuscripta euolueret, cum peritioribus scripta conferret &c. adijceret, subtraheret, immutaret in melius &c. quæ ex horum lectione accurata censeret adijcienda &c. Sic enim lectiones maiori iure viderentur esse ingenij sui partus, & maiori cum alacritate, & claritate (nisi Heracliti conditionem securitari vellet) lectionem explicabit. Verum oportet, vt quis cum laude id præstare possit, quod in tali scientia peritiæ plusquam mediocritatem attigerit. 12. *Dictet in Scholis* non mora verbatim interposita, sed vno ferè spiritu periodum, vel partem periodi pronunciet; nam illud tædio summo Auditoribus erit: Si opus esse censuerit, vt cum longior est periodus, vel pars periodi, totidem prorsus repetat verbis; ex scribentium autem vultu, aut manuum motu animaduertere poterit sępe, an repetenda periodus &c. Proferat autẽ distinctè vocem vnamquamque, ac peculiari etiam cura particulas, vocesque nonnullas, & maximè nõ obuias quoq; interdum apud Philosophos, Theologos &c. Talis sit sonus vocis, vt ab omnibus commode exaudiri possit in eadem classe existentibus: Sit etiam Pronunciatio instar illius, qui familiariter cum alijs colloqueretur, vel alicui Epistolam v.g. dictaret in cubiculo: A quibusdam, vt dicitur, Cantilenis abstineat omninò. 13. *Ne cursim, & quasi præteruolans dictet*, memor facilius a se illa posse voce efferri, quam calamo describi: In hoc autem se accommodet Auditoribus suis communiter, non verò vni, aut alteri, qui citius alijs scriberet; & initio quidem lectionum tardius dictandum, donec progressu temporis citiori scriptioni se accommodent Auditores. Erret potius in tarda, quam in cita dictatione. Si non præscripserit sibi vltra morem scriptionis, seu dictationis terminum (quod contingere poterit tunc maximè, si vel vberiorem ipse amet stylum, vel in quibusdam quęstionibus latius, quam re vera par erat, versatus alias pro more examinare velit, aut proprias quasdam opiniones multis tradiderit &c.) in hoc non errabit. 14. *Ne sit ex illorum numero* Professorum, qui de dictandis à se Scriptis ita solliciti sunt, vt diebus etiam ipsis Vacationibus vel Hebdomadarijs, vel

Annuis

Annuis dicatis, detineant Auditores in ſcriptione; illaſq; vel in Domo dent deſcribendas, vel in ſepoſito loco: Præterquam multorum ſcripta haud huc exigunt honorem; dorſali, manualiq; labore, tam diuturno tempore haud ſunt detinendi ingenui, ingenioſique adoleſcētes. Accedit, ſi dictādi lect. munus alteri demādetur fructu, qui pręcipuus e Profeſſoris explicatione hauritur, erunt Auditores deſtituti. *Sufficiat diebus dictandis lectionibus iam præſignatis malitia ſua*. Multò minùs inhæreat illorum veſtigijs, qui Theologiam tradentes, cum multa e Philoſophicis lectionibus iam dictatis ſupponant, & conſultò etiam in Theologia, ad illas ſæpiſſimè Auditores reijciunt; Vnde coguntur hi vel ea caro etiam emere pretio, vel etiam deſcribere, in Profeſſorum ſolùm etiam quandoq; gratiam. Si neceſſe verè fuerit aliqua ex hujuſmodi Philoſophicis tradere in Theologica exedra, illa aut voce tantum explicanda, aut breuiter illa dictanda. 15. *Ponat* ſtudiū maius, ac præcipuum in explicanda, quā in dictanda lectione. Hoc à quolibet etiam imperito, dummodo legere nouerit, præſtari poteſt: Illud non niſi à perito: & vt audiant explicantem magiſtrum accedunt Auditores ad Scholas; ſecus lectiones in domo etiam deſcribere poterunt: Quare ſecum priuatim *Amimaduertat*, Qua ratione ſibi ſint explicandæ lectiones, quid addi ſcriptis viua voce poſſit, quę ſimilitudines, paritates afferri: In explicatione autem non eadem prorſus verba, Quæ iam dedit deſcribenda, proferat; neq; enim hæc eſſet explicatio, ſed eorumdem repetitio. 16. *Explicet latius* quędam maioris ponderis, & in quibus videtur ſita præcipuè difficultas, & quæ maiori cum labore Auditorum intelligentiam futurum ſit, vt peruadant, præcognoſcit, aut iam in alijs, vel etiam in ſe ipſo fuerit expertus: Indicet autem, in quorumnam intelligentia magis inſudandum; ac in fine lectionis quaſi compendium quoddam totius ſcriptæ lectionis in medium proferat, duobus aut tribus indicatis, quæ peculiari obſeruatione in ſtudio lectionis priuatę indigebūt &c. 17. *Identidem dictet, identidem explicet.* Si per horam habenda eſt lectio, media ſaltem hora tribuatur explicandæ, media ad ſummum dictandæ lectioni: Par eſſet (& tamen contrarius mos eſt ferè in vſu) vt longius explicaretur, quā dictaretur lectio; nam hæc deberet eſſe veluti Breuiarium quoddam ad conſeruandam, renouandamq; memoriam illorum, quæ explicantur, ſiue traduntur Viua voce a Magiſtro; Quare ſelecta ſolum, & quæ paſſim non eſsent obuia, eſſent tantummodo dictanda, aliaq; breuiſſimè ad ſummum indicanda. Nec integra ſemihora tribuenda perpetuæ dictationi, aut explicationi, ſed in primo quadrante explicanda, vel dictanda lectio; in ſecundo explicanda, ſi in primo dictata; reaſſumenda in tertio explicatio, vel dictatio &c. 18. *Habeat ſub aſpectum Auditores* omnes, tum vt facilius illorum

aures peruadere queat ipſius vox, tum vt obſeruet quinam citius, quinam lentius ſcribant. Ne perturbetur autem, ſi aliquem motum, vel geſtum minùs ſibi arridentem viderit, & maximè, ſi e culpa ipſius demiſsa voce, aut nimis citò dictantis &c. oriatur; nec ſit ex illis, quibus *omnes muſcæ prætervolantes*, vt vulgo fertur, moleſtæ ſunt. Exigat autem ab Auditoribus attentionem quam maximam dum ipſe lectionem explicat; nec ab vllo Auditore ſuo velit quid tunc deſcribi in eadem etiam lectione omiſsum. 19. ***Haud explicet*** lectionem præcedentem, ſed quam modò dictat; ſic enim facilius, firmiuſque hæc menti inhærebit. Indicanda tamen ſæpiſſimè connexio huius cum præcedenti, vel præcedentibus; ac interdum etiam nonnulla in ſuperioribus dictata, quæ non poterant ſine ſubſequentium notitia intelligi, & in quibus veriſſimum deprehendebatur illud, *oportet addiſcentem credere*, poſtea explicanda. 20. ***Nedum hortetur***, verum & velit omninò, vt quicumque e ſuis Auditoribus habeat ſelectum aliquem Auctorem, ad quem iubeatur quandoque confugere in quibuſdam nõ tanti ponderis, & pro quibus deſcribendis haud impendendus Auditorum labor. Ne tamen velit aliquem Auctorem, vel Auctores perlegi priuatim ea frequentia, ac diligentia, vt duplex labor, & vterque ingens, quorum vel vnus ſufficeret, ſit ſubeundus, in ſtudendo ſcilicet & Auctori, ſiue Auctoribus, ac lectionibus Dictatis. Meminerit, pleroſque calamo ſcripta excipere in Scholis, ne laborem Auctores euoluendi ſubeant. 21. ***Prælegat***, explicetq; textum Auctoris, cuius ipſe Doctrinam profitetur, quem vt habeant in Scholis quoque ſui Auditores enitatur. Mos quidem celebrium antiquorum Doctorum *Societatis Ieſu*, tum S. Thomæ, tum Ariſtotelis textus explicationem tradere etiã deſcribendam Auditorib. fuit, vt videre eſt in manuſcriptis lectionibus, quæ aſſeruantur adhuc, & ex quibus plures deinde ſumma cum laude editi in lucẽ libri. Obſequentes præbuerunt ſe circa tex. Ariſt. *priſci Philoſ. Profeſſores Reg.* 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. *Profeſſ. Philoſophiæ*, ac *Theologiæ Profeſſores Reg.* 11. & 12. *Profeſſ. Theolog.* circa Articulos S. Thomæ, quæ quia *c. 4. par 6. lib. de Pot. Pontif. in Soc. Ieſu* pag. 276. & 277. repoſita ſunt, haud hìc deſcribenda. *Addendum*; ſicuti Reg. 2. Prof. Theol. Soc. iubet Theologiæ Profeſſorem, *ponere in eo omnem operam, vt Auditores erga S. Thomam optimè afficiantur*; ſimilem ponendam à quolibet Doctore, vt Auditores optimè afficiãtur erga Auctorem, cuius Doctrinam profitẽtur, niſi quãdo Fidei Dogmatibus repugnet &c. Iubeat quemcumq; habere textum *Ariſtotelis*, Platonis, *Hippocratis, Auicennæ, Galeni, S. Thomæ, S. Bonauenturæ, Scoti, Ægidij, Bacconij, Henrici, Durandi &c.* Si alicuius ex his profiteatur doctrinam: Illum benè interpretetur, ac in hoc nihil minus operę, quam in quæſtionibus collocet; ſuadeatq; Auditoribus

muti-

mutilam valde, ac mancam futuram Philosophiam, Theologiam, Medicinam &c. illorum, quibus id studij in pretio non sit, vt de textu Aristotelico habet expresse *Reg. 12. Prof. Philosoph. Societ.* Cum autem quandoq; occurrant quæstiones, an fuerit Aristoteles, S. Thomas, Scotus &c. in hac Opinione; de illis, saltem prolixæ, non videntur dictandæ lectiones, sed explicandum quid probabilius sentiendum, vel editioni reseruandæ. 22. *Recognoscat* quandoque à se dictata, & maximè dum dubitat, an errauerit. Dictantes in errores labi etiam queunt, ne dum Auditores, & Amanuenses, qui vt plurimum solent esse indoctissimi, licet Caracteres quandoque sint prelegantes; ideoq; scripta ab his diligentius interdum recognoscenda; & si in Schola multi adsint, sæpissimè à Professore Interpunctiones significandæ erunt, ne incongrui plane sensus appareant illis, qui curant describendas lectiones haud habiles ad subeundum scribendi laborem; quem vtinam aliqui non subterfugiant honoris tantummodò causa! Si in aliquo se errasse deprehenderit, vel malè scriptum communiter ab omnibus fuisse habuerit exploratum, errorem corrigat quantocius &c. Si quid addendum, vel demendum putauerit, iubeat demi quam primum, & addi; potest quidem interdum additionem reseruare occasioni, quæ se offeret illa inserendi &c. 23. *Si eadem cogatur dictare scripta*, ea adhuc perpoliat, latiùs nonnulla explicet, nonnulla breuius, aliqua demat, aliqua addat, aliqua magis corroboret, aliqua magis declaret &c. prout in decursu annorum, & experientia in auditoribus habita deprehenderit; si minus consequenter verè agnouerit quædam protulisse, magis consequenter postea dictet &c. obseruet quæ magis vehementer oppugnata, & quæ minùs probata &c. suamq; sententiam stabilire nouis, efficacioribusq; nitatur rationibus, facilioresq; etiam solutiones aduersantium argumētis præ iam allatis, maximè ex improuiso, excogitet &c. 24. *Si veritas appareat*, quocumq; tempore, & à quocumq; illa patefiat: nō solùm illi intra intellectus sui penetralia det aditum, verum etiam, vt idem aperiatur ab intellectu auditorum, contendat; adeoq; non solùm si iterum eadem quæstio sibi prælegenda, aut de eadem materia dictandę lectiones, verum etiam si vel die subsequenti agnouerit aliquid à se siue voce, siue scriptis falsum fuisse traditum antecedenti, statim retractet dicta, apud prudentes Auditores, ne dum cæteros sapientes, hinc sanæ, ac solidæ famam consecuturus scientię. Laudabilis etiam retractatio opinionis, cui minùs veritatis lucem affulgere, quam alteri, quis conspexerit. Sapientissima fuit responsio cuiusdam Professoris, qui secundò Philosophiæ cursum prælegēs cum à nonnullis iam in primo traditis recessisset sententijs, interrogatus à quodam, cur ab illis discessisset, inquit, *Nonne vis, vt ego quoq; in dies*

proficiam ? Fuine ea donatus Scientia, vt nihil illi addi possit ? Sapientis esse *mutare consilium in melius*, vetus, verumque effatum fuit. 25. *Cum scripta* hæc à pluribus euoluenda sint, & in plurium quoque etiam minùs beneuolorũ incurrere queant oculos, ac quandoque custodiri etiam in Bibliothecis, nec pernegari queant illis inserta, si calamo Auditorum excepta; cum tamen quæ nuda proferuntur voce possint vel negari, vel affirmari haud esse taliter dicta, aut æquiuocationis remedium adhiberi possit: huiusmodi scripta instar librorum oporteret esse *Thesauros* iuxta monitum Pisonis apud Plin. in Præf. *Cogitet* cum Plinio Iuniori libr. 7. Epist. *Quam sit magnum dare aliquid* in manus hominum, sibiq; *persuadeat*, & *cum multis*, & *sæpè tractandum*, quod *placere semper* Prudentibus, ac Sapientibus *cupiat*.

Ex his aliqua opportuna cap. etiam præcedenti, & aliqua ex præcedenti huic.



559

Illustrissimis, atq; Excellentissimis D.D.
ALOYSIO MOLINO
PATAVINÆ VRBIS PRÆTORI,
AC SEBASTIANO MICHAELIO
Eiusdem Vrbis PRÆFECTO,
Præstantissimis Senatoribus;
Qui inter SERENISSIMAE REIPVBLICAE Venetæ
Præconsultores, & *Consiliarios* iam Adscripti,
Ex Illius Religiosissimis, ac Prudentissimis
Moribus, atq; Institutis,
Ius suum *Priuato Cuilibet* tribuere,
Adeoq; Auaritiam, quæ teste AMBROSIO
Tantæ Virtutis Vigorem primò infirmat, ac inflectit,
Longissimè á Se repellere,
Et Populorum *Pastores*, imò & *Patres* esse didicerunt;
Vnaq; nouerunt, *Impiam* esse in nonnullos *Pietatem*,
Ac Mortem Vni illatam Millibus *Vitam* afferre;
Nec Domum, nec Ciuitatem stare posse,
Nisi *Improbis* Supplicia, *Probis* Præmia decernantur;
Pouida Quorum Sapientia
PATAVINI CIVES censent omnino,
Suis Animi, Corporis, ac Fortunæ Bonis
Prospectum satis fore:
Animaduersiones Vigintiquinque
PRO ACCEDENTIBVS AD PVBLICA GYMNASIA
IVLIVS CLEMENS SCOTVS
Placentinus Comes &c.
Serenissimæ Reipublicæ obsequio addictissimus,
Singularisq; *Illorum* Sapientiæ, Prudentiæ, ac Iustitiæ
Venerator
D. D. D.

Caput Quartum.

1 QVicumque ad Scholas accedit *Publicas*, memori ſæpe, ſi
non ſemper, reuoluat mente, quod in nobiliſſimi *Lycæi*
Patauini fronte legitur, Maiuſculis Romanis, Deaura-
tiſq; effictum; *Sic ingredere, vt te ipſo quotidie Doctior; ſic*
egredere, vt in dies Patriæ, Chriſtianæque Reipublicæ vtilior euadas. Ita
Demum Gymnaſium à ſe feliciter ornatum exiſtimabunt Ioannes Cornelius
Prætor, & Antonius Priulus Præfectus. Hoc in votis eſt quidem om-
nibus huiuſmodi Academiarum fundatoribus, ſed nominatim *Sere-*
niſſimæ Venetæ Reipublicæ, quæ Regia plane magnificentia nullis par-
cuit, parcitq; ſumptibus, etiam grauiſſimis occupata bellis ingentem
auri molem exhaurientibus, in curandis illis, quæ ad Patauinæ De-
cus Academiæ ſpectant: Cuius Moderatores Tres ſemper e ſuis Se-
natoribus Primarios ſtatuit; modoque illi præſunt Illuſtriſſimi, ac
Excellentiſſimi D.D. *Petrus Sagredus* Procurator D. Marci (cuius Il-
luſtriſſimus e Fratre Nepos *Laurentius* florenti adhuc ætate in publi-
cis muneribus tam illuſtria maturi iudicij argumenta exhibuit, vt
præſtantiſſimorum *Maiorum* ſuorum veſtigijs inhęrentem Honori-
ficentiſſimos quoſq; illum in Republica Honores aſſecuturum publi-
carum conſcij rerum arbitrentur) *Hieronymus Landus* Eques; (cuius
Filiorum Illuſtriſs. *Antonij*, ac *Ioannis* adeo egregia eſt indoles, vt
eximias optimi, Prudentiſſimi, ac liberaliſſimi Parentis Virtutes eos
eſſe imitaturos in totius vitę decurſu certò polliceri videatur) & *Fran-*
ciſcus Michaelius Sapientiſſimus Senator, Viri ob munera, quę iam ob-
tinuerunt, obtinentque ampliſſima, omni commendatione digniſſimi.
Male de *Sereniſſima Republica* mererentur (quod idem de alijs Acade-
miarum fundatoribus aſſeri poteſt) illi, qui in ſingulos dies in Gym-
naſium concedentes non euaderent Doctiores, ac Patrię, Chriſtia-
næq; Reipublicæ vtiliores. Quid ſi multi, ſi non indoctiores, certè
minus vtiles, vel etiam pernicioſi Patriæ, Chriſtianæque Reipublicę
euaderent! Quod facile contingere poſſet vbicumq; hæc publica
inſtituantur Gymnaſia: *Si Scholaſtici* lecto, aut otio, ſiue non con-
gruis ſibi occupationibus detenti illa ſæpius frequentare omitterent:
Si illa frequentarent ſolummodò ad amicos quoſdam ſodales ſalutan-
dos, & cum illis confabulandum, ad tempus non omninò otioſè tran-
ſigendum &c. *Si familiaritates* contraherent cum quorumdam Ado-
leſcentum, aut Hominum genere (nec in huiuſmodi locis horum
deſideratur numerus, qui conſultò etiam ad id morantur) *Qui vel* im-
probis plane eſſent moribus, nominatimque Vitijs *Gulæ, & Luxuriæ*
deditii; *Vel Qui* in Armis tractandis eſſent ſolùm periti, aut ſe peritos
oſtenterentur; *Vel qui* parum propenſi forent in literarum ſtudia; aut
etiam illis infenſi; *Vel qui* ſine propoſito ſolent vagari *quærentes nego-*
tia, quorumque inquieta inertia eſt, vt *Seneca c.* 12. *de Tranquil. Ani.* lo-
quitur

quitur : *Si suum*, Familiæque suæ Decus reponerent in quibusdam
Armorum generibus penes se habendis , ijs timorem incutientes, &
priuatis ciuibus, & ministris quandoq; publicis; simultates cum alijs
Scholasticis, captata interdum, ne dum e leui occasione, ferentes, ac
Ciuitatis, in qua degunt, tranquillitatem perturbantes : *Si domos in-*
colerent, in quibus degerent, aut quibus (cum id facilè possent vita-
re) proximæ forent fœminę sui corporis questum facientes; *Si non pau-*
cos, selectosq; contubernales eligerent : *Si duos, aut tres menses in sin-*
gulos annos, vel etiam hebdomadas aliquot dumtaxat etiam triennij,
& quadriennij spatio impenderent in studio , reliquum tempus ludi-
cris, & sæpe tum animæ , tum corporis quoque valetudini noxijs di-
cantes . Partes suas explebit hęc adiens Gymnasia, si quotidie non-
nulla ediscat, quæ vesperi secum enumeret, ac meditetur, magisque
præclaris, ac Ingenuo Iuuene verè dignis moribus ornetur; indeque
illius opera maiori sit futura emolumento tum Patriæ, tum Christia-
no orbi Vniuerso . Quò minus id eueniat, sed potius sæpissimè con-
trarium , haud *Adolescentum Naturæ* tribuendum est ; *Natura enim*
(vt *Quintil. lib. 12. cap. post. ait*) *nos ad mentem optimam genuit, adeoq;*
discere meliora volentibus promptum est , vt verè intuenti mirum sit illud
magis , Malos esse tam multos ; Nam vt aqua piscibus , vt sicca terrenis,
circumfusus nobis spiritus volucribus conuenit ; ita certè facilius esse oporte-
bat secundum naturam, quam contra eam viuere. Id ascribendum potius
Prauæ in multis Puerorum *educationi* , *Prauissimæ* Parentũ *negligentiæ*.
Vtinam (idem *Quintil. lib. 1. c. 2.* inquit) *liberorum nostrorum* mores nõ
ipsi perderemus, Infantiam statim delicijs soluimus. Mollis illa edu-
catio , quam *Indulgentiam* vocamus, neruos omnes & mentis, & cor-
poris frangit &c. Ante Palatum eorũ , quã os instituimus &c. Gau-
demus, si quid licentias dixerint. Verba ne Alexandrinis quidem per-
mittenda delicijs , risu , & osculo excipimus . Nec mirum : nos do-
cuimus, ex nobis audierunt; nostras amicas &c. vident: omne con-
uiuium obscœnis cantibus strepit , pudenda dictu spectantur . Fit ex
his consuetudo; deinde natura. Discunt hęc miseri, antequam sciant
vitia esse ; inde soluti , ac fluentes *non accipiunt e Scholis mala ista, sed*
in scholas afferunt. Hæc ille . *Si Parentes* enimuerò in hoc præ cæteris
omnibus , quę leuioris quidem sunt ponderis , studium collocarent
suum , vt *Infantes* , ac *Pueri* sui optimis imbuerentur moribus, nihil
quod minus honestum sit , aut decorum , coram illis dici, aut agi per-
mittentes ; *sibi omnino* forent obsequentes grandiorem quamlibet as-
secuti ætatem , eorum amorem , vnaq; timorem seueritate quadam
non austera conciliantes ; *In Ciuitatibus* , in quibus sitæ sunt Acade-
miæ , apud quosdam probatę vitę, & auctoritatis viros alerent eos;
Amicum grauem virum, aut fidelem libertum, siue seruum lateri filio-

rum

rum ſuorum adiungerent, cuius aſſiduus comitatus meliores illos faceret, vt *Quintil.* eo *c.* 2. ſcribit, vel certos ſolummodo illis deſignarent ſodales eiuſdem ætatis, ſtudij, ac pietatis, quibuſcum verſarentur; *à fideli amico* in ſingulas hebdomadas vellent certiores fieri de filiorum in bonis moribus, ac bonis artibus progreſſu; *identidem accederent*, & ex improuiſo, ad Vrbem, in qua illi degunt; *bis aut ſemel* ſaltem in ſingulos annos coram ſe à ſinceris, peritiſq; Viris vellent filiorum in literis progreſſus periculum fieri; *ſi præmijs* eos allicerent ad literarum ſtudia maiori ſemper cum alacritate proſequenda; Nec parcerent ſumptibus vllis, quo minus filiorum animi optimis moribus, ac diſciplinis exornarentur; ac denique non *cæca, ac ſopita* (vt *Quintil.* loquitur) *Parentum ſocordia* foret: Adoleſcentes, ac Iuuenes, qui ad huiuſmodi mittuntur Academias, quotidie & doctiores, & vtiliores Patriæ, Chriſtianæque Reipublicæ euaderent. Corruptio morum haud eſt Gymnaſijs iſtis aſcribenda, quæ pijſſimè, ac prudentiſſimè inſtituta ſunt. Multa ſunt conſeruatæ ſanctiſſimè in huiuſmodi Scholis morum probitatis exempla. Diem certè illum perdidiſſe exiſtimet Adoleſcens, in quo lectum concedens nouerit, haud lineam duxiſſe, vel protraxiſſe, ſiue doctrinæ, ſiue probitatis, dum Gymnaſium adierit. 2. *Nolit in plures*, quæ traduntur in Academijs, ſcientias incumbere; ſed vnius, vel duarum ad ſummum, quæ habeant connexionem, Studio ſe penitus tradat. Haud ſimul cum *Logica* ediſcendæ *Scientiæ*, ſicuti neq; cum *Grammatica* ediſcenda *Rhetorica*; neq; ſimul cum *Philoſophia* vera, propriaque *Theologia &c.* Illę omninò his prę mittendæ. Cum aliqua quidem *Phyſicæ parte* ediſci poterit *Medicina*; cum Iure Canonico *Ius Ciuile*; cum nonnullis Mathematicis *quædam Phyſica* de Cælo &c. Niſi ingenio ſit perſpicaciſſimo, ſtudijq; ſimul amantiſſimus, in pluribus ſcientijs ſaltem inter ſe non conuenientibus, proficere multum non poterit. Cum tamen facilè obtundi poſſit ingenium, ſi per totum diem vni ſolummodo vacet diſciplinæ, mutione animum recreet, alias certis diei horis, vel hebdomadæ diebus ediſcens; ita tamen, vt harum ſtudium ſit veluti in tranſcurſu, & in quibus ſi minùs proficiat, ſibi haud ſit dolendum. 3. *Si ingenium deſit*, nulli ſe tradat ſcientiæ: haud colendæ ſteriles omninò terræ: Cum autem ſint pauci admodum plane hebetes, & indociles, qui, cum eduntur, prodigioſis corporibus ſimiles ſunt, & licet alius alium ingenio præſtet, adeoq; vnus plus efficiat, quam alter, nemo tamen reperiatur, *qui ſtudio nihil ſit conſecutus*, teſte *Quintil. lib.* 1. *c.* 1. Naturæ ſtudium pertinax adiungat illius ſcientiæ, in quam maximè natura fertur, & ad quam maximam propenſionem experitur. Ea de cauſa etiam multiplices in Academijs traduntur Scientiæ, vt quiſque ex illis ſeligere poſſit illas, ad quas magis erit idoneus, atque procliuis.

4. *Vbi certam elegerit scientiam*, cuius studio vacet, neque omnes planè lectiones, quæ ad eandem spectant scientiam, audire sępenumero, etiamsi vellet, possit, cum plurimæ eadem prorsus hora habeantur, nec expediens sit vt omnes audiret, quamuis posset, quia nimis multæ ingenium obruerent, nec omnibus vacare, vt par esset, illi liceret; *illas audiat lectiones*, quarum intelligentia videtur præferenda cęteris; quædam enim qualibet in scientia præferuntur alijs. 5. *Ne plures audiat* lectiones etiam de eadem prorsus materia, si minùs diligenter. Vna diligenter audita, seduloque memoriæ mandata, & accuratè perpensa plus proderit, quam *plures inchoatæ*, & *quasi degustata*, vt in simili *Quintil. lib.* 10. *c.* 5. loquitur. 6. *Licet plures possit*, imò & aliquando debeat audire Professores de eadem etiam scientia agentes, maximè dum non eadem hora ab illis habetur lectio: *Caueat tamen*, ne modò vnum, modò alium audiat Professorem, qui Diuersis vtatur Principijs, licet eamdem Scientiam, ac materiam tractet, nisi multum in scientijs profecerit. Haud ab illo, qui Theologiam discit, hac die, hac hebdomada frequentanda Schola illius, qui Thomisticam tradit doctrinam, alia die, vel hebdomada illius, qui Scotisticam &c. Cum Professores eiusdem facultatis sæpe Diuersis inter se sectis adhæreant (sunt multę illæ inter *Theologos*, *Philosophos*, ipsos etiam Thomistas, Scotistas &c. ac Peripateticos quoque, Mathematicos, Medicos &c.) non audiendæ lectiones eamdem etiam quæstionem agitantes saltem frequenter à Iuuene, cui adhuc occulta sunt Scientiarum Arcana; nam hærebit, titubabit &c. 7. *E Multis Professoribus*, qui de eadem scientia, ac materia agunt, audiat illos vel illum, *in quem* maiorem in se experitur animi propensionem; *à quo* sibi maiora videt beneuolentiæ signa exhiberi ex integra, sinceraque mente profecta; *sub cuius* disciplina cognoscit, siue conijcit initio, se maiorem progressum facturum, quod conijcere potest ex alijs, qui illius fuere Discipuli; *qui aptius* suam explicat mentem, eamque Auditoribus veluti instillat eorum captui se accommodans; *qui denique magis* est suorum Auditorum profectus amans, simulque modestis, ingenuisq; moribus præditus. Hunc omni *modò faciat amicum*, ita vt in *docendo*, *non officium spectet*, *sed affectum*, quemadmodum habet *Quintil. lib.* 1. *c.* 2. Illum non minùs, quam *ipsa studia amet*, & *Parentem esse non quidem corporis*, *sed mentis credat*: Illi se *docilem præbeat*; & vt *sit illi carissimus*, *studio mereatur*, vt idem scribit lib. 2. c. 9. 8. *Si Academiæ mos ferat*, *nec videri* Professor renuat (potest id renuere; *vel quia* nolit cum alio videri de associantium numero contendere; *vel quia* nolit Auditores longinquum arripere iter, dum degit in aliqua Ciuitatis parte remota; *vel quia* nolit ad Gymnasium accedens cum vllo colloqui, lectioni inten-

intentus &c.) comitetur eum ad Scholas proficiſcentem, & ad id opportuno adſit ad illius ianuam tempore. Huiuſmodi officium exigit publicum Profeſſoris officium, Magiſtrique munus à ſuis Auditoribus: Cuius quoque hinc maior conciliatur beneuolentia; cæteris enim paribus ſe magis ſtudioſum exhibere debet Præceptor illius, à quo maiori ſe haberi in pretio cognoſcit. Cæteros autem Profeſſores, qui in eadem Academia legunt, licet non ſuos Magiſtros, debito ſemper proſequatur honore, ſed præcipuè in Academię loco; id poſtulat eorum tum Sapientia, tum Gradus, quem in Ciuitate, & Academia obtinent. 9. *Quiuis Auditor* præſtituto lectioni tempore adſit loco, in quo illa eſt habenda; potiuſque horam pręueniat: moleſtus eſt Profeſſori, moleſtus eſt cęteris Auditoribus nouus, ac frequens auditorum acceſſus, vbi initium datum eſt lectioni. 10. *Reponat* ſe in loco quiſque, ex quo aptius exaudiri poſſit Profeſſor, illiuſq; pręſentia frui. Vult quidē *Quintil. lib.* 2. *c.* 3. Vultum præceptoris *intueri* eos qui audiunt. 11. *Non ſe reponat* iuxta illos, qui non ſolent attendere, ſolent confabulari &c. 11. *Sollicitè* attendat. *Primò* Senſum quęſtionis, ac materię, de qua habetur lectio: ideoque ante cętera in hunc à Profeſſore explicatum mentis obtutum defigat; nam ſine hac notitia nunquam cętera, quę tradet, rite poterit comprehendere. *Secundò* Sententiam Profeſſoris cum ſua ratione, vel Rationibus, quibus illam probat, confirmatque ſimul cum ſolutione contrarię opinionis argumentorum animaduertat; & ſi minùs memoria valeat, maximè in quibuſdam pręcipuis citationibus memori mente cuſtodiendis, in pagella ad id conſultò allata deſcribat. *Tertiò* Diſtinctiones nominatim, quas ad ſolutionem adhibet, vel iuxta quas conciliat contrarias quaſdam opiniones, accuratè diſcat. *Quartò* Quę peculiariter adnotanda innuit, ac iubet Præceptor, iterumue repetit, peculiariter ipſe etiam in animo reponat. 13. *Haud ſibi ſuadeat* omnia plane, quę à Profeſſore ſemper traduntur, poſſe percipere, ne dum mente retinere. Nonnulla ille inſerit interdum, quę norit auditorum intelligentiam non aſſequi ad ampliorem doctrinam, ſuumque munus cum maiori honore obeundum, & tunc maximè, dum nouus eruditus vir ad Gymnaſium accedit ipſum auditurus. Pręterea non omnes Auditores ſunt eiuſdem ingenij, vel in ſimilia incubuerunt ſtudia, antequam talem Profeſſorem audire inciperent. 14. *Cum Profeßor* per tranſennam aliquando, vel ex occaſione data profert nonnulla, quę non videntur valde affinia lectioni, quę primò haberi cępit, illa tamen accuratè obſeruanda; nam ſępe pręclariſſima, & ex improuiſo occurrere poſſunt Legenti Profeſſori, quę maiorem afferre queunt

fructum, quam quę ad lectionem per se conducunt; & hoc quidem facilius accidere potest, quò Professor pluribus fuerit instructus scientijs. Ignorare præterea potest ipse Auditor connexionem, quam habent illa cum lectione. 15. *Modum obseruet*, quo lectio habetur à Professore; quænam dicantur *primo*, quænam *secundo* loco &c. Neque enim Sapiens Professor temerè hæc præponit, illa postponit &c. *Connexionem quoq;* huius lectionis cum alia attendat, sed maximè consequentem ad Professoris principia Doctrinam. 16. *Licet Professor* scripta composuerit, vel etiam libros ediderit de tali materia, de qua habet lectiones in scholis, illum tamen audiat ibi; *tum quia* viua vox altiùs mentem penetrat, quam mortua in scriptis, ac libris; *tum quia* voce quędam explicari, ac proferri possunt, quæ scriptis, aut libris commendari etiam valde rationabiliter nequeunt; *tum quia* addere multa potest; fit enim Professor in dies sapientior. Quid si ille haud in eadem persistat opinione! 17. *Si Professor* lectionem dictet, ipsemet Auditor scribat, non verò alium substituat: Si quis attentè scribat, simulque Professorem postea explicantem iam scripta audiat, haud eo priuato indiget studio, quo ille, qui aliena manu iubet lectionem describi. Scribat autem quo magis perceptibili, & grandiori potest caractere, & compendiosas quasdam scribendi rationes sibi obuias adhibeat: Si quando dictantem Magistrum prosequi non valeat, post lectionem relicta describat, non autem illo tempore, quo Magister dictata explicat; *tum quia* id molestum, ingratumque esse solet Professori: *tum quia* præcipuus Doctrinę fructus est in audienda Professoris explicatione; nemo enim melius illam explicare potest, cum sit illius laboris, ac ingenij partus: Cum quis audit Magistrum, tunc maximè se illius discipulum profitetur: Describere lectiones potest esse munus quoque amanuensium, quorum non pauci solent esse in aliquorum scholis, Viri sæpè adeò imperiti, vt opportunius sit Lectionibus ab illis descriptis carere propter multiplices in omni genere errores, quam illas habere. Non imitetur illos, qui tantum quædam scribunt, alijs omissis, quæ Præceptor dictat; præterquam enim id *arrogantiæ* potest esse argumentum, eo quod sibi suadeat aliqua esse superuacua, alijs praui speciem exempli id præbet. Iuuat quandoque conferre scripta inter cum scriptis, vt recognoscantur errores, debitæ apponantur interpunctiones &c. Id certè præstandum, cum dubitat, vel suspicatur quædam à se calamo non ritè excepta. 18. *Ante peractam lectionem* non recedat e scholis, nisi vrgente plane necessitate: Id ingratissimum esse solet Præceptori, illiusque doctrinæ contemptus signum esse potest quandoque; ceterique condiscipuli à lectionis attentione

retar-

retardari solent. 19. ***Nunquam aliquid dicat***, vel agat, quod sciat Professori minùs arridere; multoq; magis caueat ab vlla illi quacumque plane rationi iniuria inferenda. Hæc oriri enimuerò solummodo potest ab Adolescente, ne dum Ingrato, verum & Rustico, Barbaroque, & indigno plane, qui cum morigeratis, ac Ciuilibus hominibus versetur. Ista potiùs agentes, vel molientes ingenuus quisque Auditor remoueat pro viribus, oret, obsecret, deterreat, si potest &c. 20. ***Numquam omittat*** lectionem vel vnam; non solùm quia huiusmodi doctrinæ fructu carebit; verum etiam quia saltem plerumque lectio quælibet solet facem præbere ad aliam melius, & interdum quoque simpliciter, intelligendam. Si quando legitima compulsus necessitate accedere ad lectionem non potuerit, ab ingeniosiori, ac diligentiori Condiscipulo illam intelligere studeat, adnonet pro more præstantiora &c. 21. ***Interrogantes aliquid Condiscipulos*** proximos præferat se non audire, vel illis respondeat breuissimè: nec obseruet vnquam, Quid alij faciant; se existimet esse solum cum Magistro docente. 22. ***Scamnum, in quo sedeat***, eligat commodum: si corporis membra in loco minus sibi congruo consederint, minus quoque mens attendet. 23. ***Ante lectionis*** initium paratum habeat calamum, promptumque cum atramentario, carta &c. ad describendam lectionem, vel ad describenda præcipua prò more &c. 24. ***Peracta lectione*** non ante pedem e Schola referat, quam ex eadem discesserit Professor, quem abeuntem omni honore, non tamen affectato, prosequatur, illumque ad Domum officiosè reducat, dum consuetudo id tulerit. Si Professor ad Classis fores, vel in alio loco post lectionem sui copiam faciat Auditoribus, quisque illum interroget de illis, quæ minus assecutus fuerit, vel in ea, vel in antecedenti lectione, cui priuatim domi studuit, illumque reuerenter audiat; nec cum illo arroganter contendat, potiusque arbitretur, se non satis percipere tunc ea, quæ ab illo proferuntur, quam quod ille minus aptè, & ad rem respondeat; vlteriorem tamen explicationem ab illo interdum modestè petere non abs re fuerit. 25. ***Si sub alicuius Professoris*** disciplina satis proficiat, etiamsi alius doctior, aptiorque etiam ad docendum in eodem Gymnasio accedat, ne Primum derelinquat; ***non solum quia*** minùs gratum semet exhiberet; verum etiam quia minùs sub hoc proficiet, cum non sit assuetus illius ***Voci, Principijs, Modo explicandi, Ordini &c.*** Minus forsan amabitur ab illo &c. Auditoris partes putet esse inter cæteras, multi æstimare sui Professori doctrinam, illam cæteris omnibus commendare &c. Agitur etiam

in

in hoc de Auctorum ipsorum honore ; decus enim ingens illorum est , Præcellentis Præceptoris disciplinam sectari. Laudes sint quidem pro merito , sed potius vltra , quam infra illius meritum.



ILLVSTRISSIMO DOMINO
GVSTAVO BANNIER
GERMANORVM NOBILISSIMO
Almæ D. D. IVRISCONSVLTORVM Vniuersitatis
In Patauino Lyceo *ProRectori, Syndicoq́* Dignissimo ;
Qui Paternæ in Bellicis Gloriæ,
Militarisque in Exercitibus Ducendis
Prudentiæ, & Solertiæ Æmulator
Armatæ, ac Togatæ *Palladi* sic indulget,
Vt de Se comprobari quoque cupiat,
Quod de *Maiori Scipione* olim prolatum ;
Semper aut Belli , aut Pacis seruijt Artibus ,
Semper inter Arma , ac Studia Versatus ,
Aut Corpus Periculis, aut Animum Disciplinis exercuit ;
Iuueni Ingenioso , Grato , Munifico :
Illustrissimoque D. D.
ALOYSIO SCOTO
Placentino , Marchioni , Humanissimo Consanguineo,
In Serenisſ. RANVCII Placentiæ , ac Parmæ Ducis VI.
Vniuersa Ditione Muralibus Machinis Præfecto ;
Æquè Mitioribus , & Philosophicis Armato Scientijs ,
Ac Militaribus , Bellicisq; Artibus Expolito ;
Iratum *Martis* Furorem Suauissimo *Pieridum* Cantu
Nominatim Demulcenti :
Animaduersiones Vigintiquinque
PRO VACANTE PRIVATO LECTIONVM STVDIO
IVLIVS CLEMENS SCOTVS
Placentinus Comes &c.
Qui non minus Armis , quam Literis præstant,
Nobilium Virorum Studiosissimus
D. D. D.

Caput Quintum.

1 I N

dicta cap
labori in
educato i
Quod no
sed ad vil
hendisset
infimum
stianisq;
dum mo
2. *Vtea*
extra Pa
potest, *v*
cuius auc
nus obsec
rebus sub
omnino
tate; qu
dat omn
stitutæ s
desit, ve
di. Si re
qui sibi i
spectus i
plateam
qui cred
libertas,
ritum pa
rum hort
tant, ne
se bona fi
respexer
amænita
auræ, vo
trahunt
intendere
e quo ap
præterla
esse remo

1 IN *ſingulos dies* mane ſaltem, antequam ſtudio ſe tradat, recitet Orationem *S. Thomæ Aquinatis*, cuius initium eſt, *Creator Ineffabilis &c.* reponiturq; in *Officio B. Virginis*, eidemque *Virgini Angeloq; Cuſtodi* ſuo ſe peculiariter commendet iuxta dicta cap. 1. Op. 1. laudabilemque, ac honeſtum ſibi finem præſignet labori in ſtudendo, dignū enimuero liberalibus diſciplinis, ac Iuuene educato ingenuè &c. Si Reprehendit *Quintil.* in fine *lib. 1. Orat. Inſtit.* Quod non *quia ſit honeſta atq; pulcherrima rerum eloqentia, petatur* ipſa, *ſed ad vilem vſum, & ſordidum lucrum accingamur*; multò magis reprehendiſſet illos, qui in ſublimiorum Diſciplinarum ſtudio indecorum, infimumque finem ſibi propoſitum haberet; Quid ſi Ciuilibus Chriſtianiſq; moribus diſſonum! Laudabilis eſt multorum ad id euitandum mos præmittere *Orationem*, quæ incipit, *Actiones noſtras &c.*

2. *Vt ea, quæ par eſt*, diligentia vacare huic priuatio ſtudio poſſit, ſi extra Patriam viuat. *Primò* Habitet in Domo *Honeſti Viri*, & ſi fieri poteſt, *vel* Conſanguinei; *vel* Affinis; *vel* Amici ſibi, vel ſuis; *vel* alicuius auctoritatis Viri, cuius præſentiam vereatur, timeatq; illi minus obſecundare, in hoc nullis parcens ſumptibus, quos potius alijs in rebus ſubtrahat; *vel* ſaltem *Hominis timentis Deum*; *vel* honeſtiſſimæ omnino Fœminæ, cuius pudicitiæ ſaltem præſentis fama ſit in Ciuitate; quam ſi non reſpondere re ipſa deprehendat, ad aliam concedat omnino honeſtiſſimam. Nec in amplis Ciuitatibus, in quibus inſtitutæ ſunt Academiæ, huiuſmodi Domus deerunt, ſi pecunia non deſit, vel potius non deſit animus integros, puroſq; mores cuſtodiendi. Si redditus ferant, conducat Domum, fidelemq; habeat ſeruum, qui ſibi inſeruiat &c. *Secundò* in Domo cubiculū eligat, e quo ſit proſpectus in aliquem hortum, aut viridarium, aut amænum agrum, ſiue plateam &c. *Quintil.* quidem *c. 3. lib. 10.* cenſet, *Non protinus audiendos*, qui credunt aptiſſima ad ſtudium nemora, ſyluaſque, quod illa cæli libertas, locorumq; amænitas, ſublimem animum, & beatiorem ſpiritum parent: *Mihi certè* (ſubdit) iucundus hic magis, quam ſtudiorum hortator videtur eſſe ſeceſſus. Namque illa ipſa, quæ delectant, neceſſe eſt auocent ab intentione operis deſtinati: Neque *enim ſe bona fide in multa ſimul intendere animus totum poteſt*, & quocumque reſpexerit, deſinit intueri, quod propoſitum erat. Quare ſyluarum amænitas, & præterlabentia flumina, & inſpirantes ramis arborum auræ, volucrumq; cantus, & ipſa latè circumſpiciendi libertas, ad ſe trahunt, *vt mihi remittere potius voluptas iſta videatur cogitationem, quā intendere*: Non negat tamen, quin opportunum ſit ſtudio cubiculum, e quo aperta feneſtra ſit proſpectus in aliquam ſyluam, in flumen præterlabens &c. Ab arbitris quidem, & ſtrepitu debet Cubiculum eſſe remotiſſimum, ne aliò vagari cogatur mens. Prudenter tamen

G *Quintil.*

Quintil. addit. *Sed ſilentium, & ſeceſſus, & vndiq; liber animus*, vt ſunt maximè optanda, ita non ſemper poſſunt contingere; ideoq; non ſtatim, ſi quid obſtrepet, abjciendi Codices erunt, & deplorandus dies; verum incommodis repugnandum; & *hic faciendus vſus, vt omnia, quæ impediunt, vincat intentio; quam ſi tota mente in opus ipſum direxeris, nihil eorum quæ oculis, vel auribus incurſant, ad animum perueniet.* An vero frequenter etiam fortuita hoc cogitatio præſtat, vt obuios non videamus, & itinere deerremus: non conſequemur idem, ſi & voluerimus? Non eſt indulgendum cauſis deſidiæ Nam *ſi non niſi refecti, non niſi hilares, non niſi omnibus alijs curis vacantes ſtudendum eſſe exiſtimauerimus, ſemper erit propter quod nobis ignoſcamus. Quare in turba itinere, conuiuijs faciat ſibi cogitatio ſecretum &c. Tertiò* Aut nullos planè contubernales habeat, aut vnum, alterumue ad ſummum, qui ſit pijs, ingenuiſq; moribus exornatus; *qui* eidem det operam facultati; *qui* ſit in ſtudia propenſus, adeoq; præſignatas inſtar ipſius ſtudio horas habeat; *qui* aliorum conſuetudines deuitet; *qui* ſua verè propter virtutes dignus ſit familiaritate &c. Pleriq; cauſa ſociorum in eadem domo conuiuentium, qui vel prauis imbuti ſunt moribus, vel ſtudio nõ ſunt dediti &c. etiamſi ad Academias acceſſerint cupidiſſimi in Scientijs proficiendi, adeoque ſe illis penitus tradendi, ab hac ipſa reuocantur voluntate; mentemq; in res ingenuo plane adoleſcenti minus cõgruas deflectunt. Meminerit, *facilimè Amicorum Vitia reddi Communia* (Vtinam ſic facilè Amicorum Virtutes in Amicos commigrarent) ac *magis pertinaciter hærere, quæ deteriora ſunt, ac bona facilè mutari in peius*, vt Quintil. lib. 1. c. 1. ait. *Quartò* Ne tempora ab ipſa rerum natura ad quietem, refectionemque nobis data in acerrimum ſtudij laborem conuertat. Verùm ſimul frugalitatem amet, quæ *Bonã Valetudinem* (teſte eodem c. 3. lib. 10.) *maximè præſtat. Quintò* Vitet fatigationem, quæ ſtudendi *Diligentiæ* obſtat, vt inquit idem, ſubdens; *& abundè ſi vacet, lucis ſpacia ſufficiunt occupatos in noctem neceſſitas agit.* Eſt tamen lucubratio, quoties ad eam integri, ac refecti venimus, optimum ſecreti genus: Quare illud, quod prius dixerat, *lucubrantes ſilentium noctis, & clauſum cubiculum, & lumen vnum vel vt rectos maximè teneat*, explicandum; cum neceſſitas ſtudendi in noctem agit, vt ſolet eſſe cum breuiores ſunt dies; tunc enim & ante cubitum, & poſt cubitum manè valde diluculò ſtudio vacandum eſſe monet, ſilente nocte, clauſo cubiculo, ac lumine vno accenſo; vel cum tota die occupati quo tempore etiam breuiores ſunt noctes, neceſſitas ad ſtudium nocturnis horis nos cogit. *Sextò* A Superuacaneis omnino abſtineat, ſi verum, multumq; in ſcientijs, quibus vacare cæpit, progreſſum facere velit Adoleſcens. Haud breue eſt tempus Adoleſcentiæ ad multas etiam Diſciplinas accurate ediſcendas, ſi illud non ſibi faciat breue Adoleſcens

lescens

lescens iuxta monitum *Quintil. lib.* 12. *c. vlt.* qui subdit, *Quantulum enim studijs impartimur? Alias horas vanus salutandi labor, alias datum fabulis ocium, alias spectacula, alias conuiuia trahunt.* Adijce tot genera ludendi, & insanam corporis curam. Trahit inde peregrinatio, rura, calculorum anxiæ sollicitudines, *multæ causæ libidinum, Vinum, & flagitiosus omni genere voluptatum animus.* Ne ea quidem idonea tempora, quæ supersunt. Quæ si omnia studijs impenderentur, iam nobis longa ætas, & abunde satis ad discendum spatia viderentur, & diurna tantùm computantibus tempora, & noctes, quarum bona pars omni somno longior est, adiuuarent. *Nunc computamus annos, non quibus studuimus, sed quibus viximus.* Septimò Nunquam *Difficultatis patrocinia* (vt idem loquitur in fine lib. 1.) *prætexat segnitiæ.* Non tam *perplexa*, aut tam *numerosa* sunt (habet idem in fine lib. 12.) quę *premunt, vt non paucorum* admodum *annorum intentione discantur.* Longam facit operam, quod repugnamus: & si post nonnulla adiecit eodem cap. *Tot nos Præceptoribus, tot nos Exemplis* instruxit antiquitas, vt possit videri nulla sorte nascendi ętas felicior, *quam nostra*, cui *docendæ priores elaborauerunt*; multò æquius quiuis Adolescens sibi gratulari debet, quod in ea viuat ætate, quæ multos tulerit, ac ferat Viros in omni scientiarum genere illustrissimos, qui in multis pares, in nonnullis etiam Superiores antiquioribus fuerunt, ac sunt. *Octauo* Si non summum inter Philosophos, Iuristas, Medicos, Theologos &c. Certè secundum, ac tertium obtinendi locum vehementissima flagret cupiditate. Benè *Quintil. eo c.* ad id. *Quicquid est optimum*, antea non fuerat. Verum etiam si quis summa desperet (quod cur faciat, cui ingenium, valetudo, facultas Præceptor non deerunt?) tamen est (vt Cicero ait) pulchrum in secundis, tertijsque consistere. Neque enim si quis *Achillis* gloriam in bellicis consequi non potest, *Aiacis*, aut *Diomedis* laudem aspernabitur; neq; *qui Homeri, nō Tyrtei. Quinimmo si hanc cogitationem homines habuißent, vt nemo se meliorem fore eo, qui optimus fuisset, arbitraretur, ij ipsi, qui sunt optimi, non fuissent &c.* *Nono* Meminerit sæpè illud eiusdem Quintil. lib. 10. c. 3. *nihil rerum* ipsa natura voluit magnum effici citò, *præposuitq; pulcherrimo cuique operi difficultatem*; quæ nascendi quoque hanc fecerit legem, vt maiora Animalia diutius visceribus parentum continerentur. *Decimo* Ingenitis ad Artes, scientiasq; ediscendas adiumentis ipse addat, *Doctorem Peritum, Diligens studium, Ordinem, Rationem, ac Modum* in studendo iuxta præscripta ab eodem Quintil. cap. postr. & in fine Proem. lib. 1. Prorsusque existimet futurum, vt aut *euadat in summum*, aut *certè multos in fra se videat.* 3. *Studeat lectioni*, quam citissimè fieri potest, post Professoris explicationem; nam illa tunc hęrebit maximè menti, faciliorque occurret memoria illorum, quę tradita sunt ad maiorem

quandoque etiam solùm explicationem, adeoque non sine multo labore illa poterit discuti, priuatoque subijci iudicio. 4. *Ante omnia Curet*, Quæstionis statum intelligere, ac Terminorum, qui in ea vsurpantur significationem tenere; secus quicumque labor erit plane irritus. Mente assequi studeat deinde fundamenta sententiæ Professoris, tùm obiectiones aduersantium, si quæ sunt, earumque solutiones: *Si quid minus* ex his percipiat, in pagella adnotet, vt alios possit de illo interrogare, cum dubitat, an illud memori mente sit seruaturus: Quod etiam præstet, si tunc quoque haud memoriæ occurrat aliquid, quod non leuis putat esse ponderis ad lectionis intelligentiam. 5. *Percursa sic lectione*, regrediatur iterum ad examinanda doctrinæ iam traditæ fundamenta, dispiciendo, *An ea sint Vera*; *An Certa*; *An Euidentia*; *An Probabilia*; *An illa certò probent intentum*; *An cohæreant doctrinæ* eiusdem Professoris &c. Si quid difficultatis occurrat, adnotet. 6. *Perpendat* Aduersantium obiectiones, siue Contrariæ fundamenta sententiæ, *An* illæ sint aptè solutæ; *Qua ratione* aduersarij vrgere adhuc possent Responsiones allatas; & *Quanam ratione* e fundamentis iam à Professore iactis refelli possint. 7. *Ex Argumentorum* sedibus (vnaquęque autem scientia pręter iam Communes omnibus aliquas peculiares sibi adoptat) ac Topicis locis videat, *An quid obijci queat* contra Professoris Doctrinam, illudq; soluere studeat. 8. *Si quid gratis*, & nulla innixum ratione (excipiuntur illa quæ sunt de fide, quæ vltimò denique in Diuinam resoluuntur Auctoritatem, sicuti & Conclusiones per se, ac propriè ac simpliciter Theologicæ) dici, seu doceri à Professore videatur, huius quærat rationem. Laudatur *Cato*, qui infans ac puer adhuc, licet esse promptissimus ad mandata Præceptoris executioni mandanda, volebat tamen, vt ratio eorum adderetur, vt docet *Plut. de Aud. Poet.* Qui & negat Poetis pręstandam fidem, nisi quod afferunt, ratione confirment. Auctoritas humana quæcumque, & quorumcumque, vt sic, nullum vnquam scientem reddit; *Fideiq; Humanæ* habitum tantummodo progignere poterit, qui nunquam scientificus appellari certè poterit, nisi abusiuè. *Multæ* quidem leges latæ ad vitandas lites; præcauenda incommoda in certis circumstantijs temporum, locorum &c. Et hęc quidem illarum Ratio legū morali consona Philosophię. 9. *Semper vlterius* quęrat, *Cur hoc &c.* ac donec ad quędam Prima Principia, siue ad Propositiones quasdam immediatas, & quæ explicatis terminis verè patent, vel sunt Prima talis scientię Principia, haud indagationem omittat. Initio quidem necesse est non solum, vt in multis credat Professori etiam non afferenti rationem, nam secus hic nihil tradere, ipse verò nihil percipere poterit, verum etiã, vt illius, quę indicata est, vlteriorem inquisitionem omittat; neque enim illam, nisi

in

in temporis progressu, percipere pro merito poterit; Quousque tamen haud illam assequatur notitiam, se scientificum verè non arbitrerur. Nouerit tamen; *Tum* aliqua in scientijs quoque Naturalibus esse, quibus accommodari potest *Bruti* dictum; qui à *Tullio* (sic habet *lib. de Clar. Orat.*) interrogatus, *Quis est tandem* in Oratione *Vrbanitatis* color, respondit, *nescio, tantum esse quemdam scio*; *Tum* Naturales scientias in plerisque saltem conclusionibus probabilibus niti rationibus, quæ satis quidem sunt ad suadendum intellectui, non verò ad extorquendum ab illo assensum, vel eum impellendum, vt sine vlla prorsus oppositi formidine, si non formali, saltem habituali, siue virtuali, ac radicali, illis asensum præstet obiectis. 10. *Perpendat peculiariter*, quæ Professor significauerit peculiariter *perpendenda*, ac *notanda*, & quæ ipsimet cognoscit esse veluti Doctrinæ Cardines. Hinc sollicitè attendat. *Quonam Principia* habeat Professor scientiæ, cui operam dat, *Cuinam Sectæ, vel Scholæ* sit addictus, *An habeat singularia* quędam Axiomata &c. Istorumque exactam asequi intelligentiam studeat. 11. *Distincte*, ac veluti *per numeros* notet, quæ discit, ita vt tria, aut quatuor v. g. e singulis discat lectionibus illa enumeret &c. 12. *Ambulans*, vel *sedens*, & ad nulla scripta, si quę habeat, oculum conuertens, lectionem vniuersam, vel præcipua saltem euoluat; si memoriæ non occurrant, ad scripta, vel ad libros, quos forsan Professor consulendos esse dixerit, confugiat, donec illam menti consignauerit; vel attentiorem in ea, quæ tradita sunt, mentis obtutum defigat. 12. *Auctoritates Iuris* siue Canonici, siue Ciuilis, vel *Aristotelis &c.* & quascumq; celebres in textu ipso legat, easq; perpendat iuxta dicta Cap. 10. Op. 2. circa Textum Aristotelicum. 13. *Conferat* cum aliquo e suis Cōdiscipulis Lectionem distinctè; si non perfectè prima vice id præstet, iterum eamdem repetat, obseruatis peculiariter illis, quæ prima omisit vice, vel in quibus proferendis errauit, à Condiscipulo, vel e scripto eorum reuocata memoria. Vtilius foret, vt idem præstaret Condiscipulus quoq; ipseque illius emendaret lapsus. 14. *Professoris Probationes*, si non sint in Sillogistica forma, ipsemet reponat, sicuti & aduersantium obiectiones, easque contra Condiscipulum afferat, vrgeat, Audiat responsiones; Curetq; vt contra se illæ eędem afferantur, ac vrgeantur, quas repetat, earumque solutionem claram, distinctamque proferre conetur. 15. *Si non conueniat* cum Condiscipulo in lectionis intelligentia, vel in responsionibus ad obiectiones, vbi quis suum satis protulerit sensum, non multum altercetur; quis enim æquus Iudex erit? necesse est, vt valde ingenio, studioque emineat inter cęteros condiscipulus ille, cui ingenij fasces ab alijs submittendæ sint. Hinc Collocutio, ac dissertatio cum Condiscipulo, si fieri possit, habeatur

beatur coram aliquo Doctiori, qui errantes corrigere possit, vlteriusq; instruere. Doctior autē iste nō solum sit e versatis in tali scientia, verum etiam qui habeat nota, tum eiusdem scientiæ, tum eiusdem Professoris Principia; si enim diuersis innitatur Principijs, licet in eadem sit sententia (nisi in Doctrina sit omni exceptione maior) haud congruas, vel satis congruas explicationes, solutionesq; afferet. 16. *Cum à nullo aptius*, quam ab ipsomet Professore, soleat explicatio haberi illorum, quę in lectione tradita sunt, quotiescumq; illum adire potest, siue Domi, siue ad Scholæ fores, siue alio in loco, ab eo illorum, quæ non percepit, aut non satis percepit, aut dubitat, an perceperit, notitiam assequi numquam refugiat, sed summi id beneficij loco reponat: *Quod vt obtineat*, illum maximè sibi beneuolum reddere studeat. 17. *Si cuisq; ætatis* homini numquam est erubescendum non solum à peritiori, verum etiam à minus sapienti, vel perito discere; multo minùs ipse vnquam erubescat à Condiscipulo, vel Doctori, maximèq; ab ipso Præceptore discere. 18. *Si id non ingratum fu*tet Professori, supplex illum oret, vt in singulas hebdomadas v.g. sibi certam horam designet ipsum allocuturus de lectionibus præhabitis: In pagella autem, vt magis sint in promptu, adnotet omnia singillatim ab illo petenda. 19. *Vnamquamq;* lectionem curet exactè pro viribus suis scire; vna enim solet ad aliam facem præbere; Præterea cum pluribus studendum est lectionibus, in singulis haud adeò diligens collocari studium solet, imò nec interdum potest; eorum, quæ Professor explicans addidit, abit memoria. *Accedit* non rarò fieri posse; vt præsensio laboris in multarum Studio lectionum futurum illum retardet, quo minùs illis vacet, adeoq; in cęterarum etiam studium minùs diligenter incumbat, earumque intelligentiam non assequatur, eo quòd antecedentes cum istis, quibus studere cæpit, connexionem habeant; tædioq; tandem affectus studium penitus omittat, oleumq; ac operam annis quandoq; integris impensam præter sumptus perdat: Quod non accidisset, si in quotidianarum lectionum studio operam collocasset. Quare vbi quis aliquo graui præpeditus negotio alicuius lectionis studium omisit, illius quam primum arripiat. *Omni potius opera* contendat, vt qualibet die, si non noua, & illa die traditę lectionis, alicuius saltem e præteritis studio aliquantisper vacet; Nec vnquam degenti maximè in Academiarum loco Iuueni ad id opportunitas deerit, si vera ille in scientijs proficiendi cupiditate flagret. Præclarè *Quintil. lib.* 10. *c.* 7. vbi monuit, Orator *studendum semper, & vbique*, subdit; *Neque enim ferè tam vllus est dies occupatus, vt nihil lucratiuæ*, vt *Cicero Brutum* facere tradit, *operæ ad scribendum*, ac *dicendum rapi, aliquo momento temporis possit*. 20. *Iuuat vehementer* priuato in cubiculo interdum secum alta voce lectionem repetere;

petere;

petere; sic enim acriùs menti infigitur. Est autem repetenda non iisdem planè verbis, quibus habita à Professore; hic enim esset memoriæ Potius, quam Ingenij conatus. Aliæ adhibendæ voces, quæ plane indicent, se intimos talis Doctrinæ recessus adijsse (si excipiantur aliquæ scientiæ talis propriæ, quarum loco nullæ penitus substituendæ, imò illæ acriter menti figendæ) adeoq; quasi in summam, vel ad quædam capita breuiter illa reuocanda. 21. *Fingat se* tanquam alios docentem, illisque tanquam Discipulis suis lectionem iam habitam explicantem: *Signum scientis est posse docere*. *Hinc salubre est*, calamo etiam describere lectionem, quę voce tantum habita est a Professore, vel etiam aliquam suo conscribere marte ad illius exemplar, eamq; peritiori ostendere, vt addat, demat &c. 22. *Idemtidem secum*, vel cum alio repetat simul tres, aut quatuor lectiones; in exitu hebdomadarum, quæ in singulas didicit; in singulos menses, quæ ipse singulis Mensibus saltem maioris ponderis didicit &c. *Saluberrimum est*, haberem libellum, in quo breuì describantur omnia, quę in singulos discit dies; quę omnia idemtidem quoq; recognoscat, illumq; penes se secum semper ferat, vt si quando ociosus extra Domum sit, illorum reuocare memoriam queat. 23. *Disputationibus*, alijsq; exercitationibus, e quibus fructum aliquem reportare queat ad maiorem Doctrinæ, quam audit confirmationem, adsit vltro; & omnia, quę audit, vel obijci, vel solui, vel tradi quę ad lectionis materiam spectant, diligentissimè attendat semper; nouarumq; obiectionum, quas ipse ignoret, soluere solutionem à Doctiori, vel Professore petat. 24. *Cum accidat* ingeniosis adolescentibus frequenter (quod cum *Quintil.* sentit quoq; *Petrarc. lib. 7. Ep. 7.*) *vt labore consumantur, & in silentium vsque descendant, nimia bene dicendi cupiditate*; ne illum velit in scientijs progressum facere, quem re ipsa nō potest: Nō luminum cuicumq; ingenium tribuit Deus. Ingeniosissimos quoscumq; ęmuletur quidem, ac studio compenset (moderato tamen) aliquod sibi à natura denegatum adiumentum, vel à natura tributum iam perficere conetur; at non omittat studium, eò quod Condiscipuli alicuius laudes in eadem addiscenda scientia consequi non possit. Nec ipsi Professores pares sunt in doctrina. Cessatne à Pręlectione Professor, eo quod alius sit verè ipso doctior? An non idem in cæteris artificibus? 25. *Legat* dicta Cap. 1. Op. 1. & quę pro singulis quibusq; Superioribus Facultatibus tradita sunt *Opusc. 2.* prout cuique vacauerit.

Reuerendissimo Patri Domno

ARNALDO DISCALTIO

OTTONELLI DISCALTII
PATRICII PATAVINI,
Qui Pontificium, Cæsareumq; Ius in Patria
Primarius Professor quadraginta duobus annis
Summa cum Laude est interpretatus,
Filio;
In Celeberrimo S. IVSTINÆ Patauij Monasterio
Congregationis Casinensis
ABBATI;
Regularis Disciplinæ Studioso;
In Re familiari Custodienda, Amplificandaque
Solerti, quidem, ac Sollicito;
Ab Auaritiæ tamen sordibus penitus remoto;
In Viros Probitate, simulque Sapientia Illustres
Valde Beneuolo:

Atq; Reuerendissimo Patri Domno

ANASTASIO GALDIOLO

Vicentino, Eiusdem Congreg. ABBATI IADRENSI;
In Nobilissimo quoq; S. IVSTINAE Patauij Monasterio
Multorum spatio Annorum,
Modòque in Patauina etiam Academia
Notissimo Philosophiæ Professori;
Humanissimis plane, Beneficisque Moribus Exornato:
Animaduersiones Vigintiquinque
PRO DISPVTANTE
IVLIVS CLEMENS SCOTVS
Placentinus Comes &c.
In Vtrumque Propensissimus
D. D. D.

Caput Sextum.

1 D*isputationes* amplectendæ sunt, ac fouendæ; Ex illis enim non ingenium tantummodo acuitur; verum etiam ad Veritatem via magis aperitur, firmior rerum in disputationibus agitatarum memoria seruatur, promptior quilibet redditur, *tum* ad Sophistarum cauillos detegendos, *tum* ad Fidei nostrę hostes euincendos &c. Eas vituperant dumtaxat parum sapientes, *vel* parum ad illas idonei, *vel* qui veritatis lucem oderunt &c. 2. *Instituantur* disputationes non ad gloriolam sibi comparandam, quod esset Vanitatis, vel Ambitionis Vitium, vel ad aliquam *Oppugnantibus*, vel *Propugnantibus* inurendam notam &c. in hoc enim grauissimè contra Iustitiam quoque peccari posset; sed *solùm* ad Veritatem perfectius assequendam, vel ad exercendum ingenium quidem, sed ita vt si disputationis virtute Veritatis lux, aut hęc clarior effulgeat, siue pro *Arguente*, siue pro *Respondente*, illam pręeuntem quilibet prosequatur. Memores esse debent disputantes sapientissimè pronunciatum fuisse à doctissimo *Cardinali Bessarione* in Oratione habita ad Patres *Concilij* Ferrarię die 8. Octob. anno 1438. *Vtraq; pars eodem proposito*, parique studio conuenit, nullum plane locũ voluntati illi relinquentes, qua vincere, aut vinci studet; id enim non Discipulorum Christi, & moderatorum hominum, sed contentiosorum fuerit, ac sibi, suisq; cupiditatibus penitus indulgentium; verùm vnius *veritatis adinueniendæ* affecti desiderio, *cum qua & vinci cupiant, sine qua vel vincere nolint*. Quare vbi Disputantes ad Disputationis locum accesserunt, sibi quisque ab alio dici suadeat, quod *Sess.* 12. die 15. Nouembris in eodem Concil. *Ferrariæ* habito (hoc pestilentiæ causa Florentiam translatum 1439. die 26. Feb. simpliciter nominatum fuit *Florentinum*) à *Marco Ephesio* Theologo celebri Græco dictum fuit; *Nos, amici Patres*, non eo conuenimus, vt verbis tantum inter nos decertemus, aut alter alterius dicta refellamus; hoc enim iactantiæ potius est, quam vię ferentis ad veritatem: sed vt cõmuni studio disquirentes singula, quæ emergunt, eaq; cum omni diligentia, pace, simplicitate & beneuolentia examinantes ita reliqua, quæ sequuntur, concludamus, donec ambæ partes ad illum, quem pariter, inquirimus finem perueniamus, hoc est, inuentionem *Veritatis*: Siue illud, quod *S. Hierony.* ad *S. August.* (habetur *tom.* 2. *S. Aug. Epist.* 11.) scripsit, Arguens a Respondente, & Respondens ab Arguentes sibi ferme innui existimet. *Te orare non dubito, vt inter nos contendentes Veritas superet; non enim tuam quæris gloriam* (si actionem exercere velis dignam Christiano homine, & maximè si Euangelicam profitearis perfectionem) *sed Christi*; Cumq; Tu Viceris, & ego vincam, si meum errorem intellexero; & e contrario Me Vincente tu superas; quia non filij parentibus, sed parentes filijs thesaurizant; &

in *Parilipomenon* libro legimus, quod filij Israel ad pugnandum accesserint mente pacifica, inter ipsos quoq; gladios, & effusiones sanguinis, & cadauera prostratorum *non suam, sed pacis Victoriam Cogitantes.* Meminerint saltem Disputantes, scribere *Augustinum lib. 6.* de Ciuit. *Eam putari gloriam Vanitatis, nullis cedere Viribus Veritatis.* Qui vult omnino esse in propria pertinax sententia, vel certæ alicui adhærere sententiæ (excipiuntur tamen semper fidei Dogmata) fructum, quem sibi verę disputationes propositum, habent haud vnquam assequetur. 3. *Haud de nonnullis* saltem fidei nostræ Dogmatibus Disputationes *publicæ sint*; facile enim idiotę, siue parum periti in aliquos incident errores, vel minùs in fide confirmabuntur, cum illius Dogmata oppugnari audiant; prætereaq; argumentorum nonnullorum vires facilius percipiuntur, quam illorum solutiones; difficillimumq; est interdum Viris etiam doctioribus Sophismatibus responsiones præbere idoneas, vel quæ auditorum minus sapientum menti satisfaciant. *Priuatæ* inter doctos admittendæ. Quod idem asserendum *de Philosophicis* quibusdam, etiam in *Aristotelis* sententia &c. 4. *Non frequentes sint* Disputationes huiusmodi publicæ; *Non enim* solent reperiri multi, qui cum laude Disputantis munus obire possint, & sæpe Disputantes minorem sibi, suisque ęstimationem cōciliant. *Nequeunt* etiam illæ haberi cum ea frequentia, quæ par foret; nam etiam illi, qui eas frequentare solent, multarum tædio affecti, consulto ab illis se abstinent; quod eò faciliùs præstant, cum viderint disputandi partes parum aptis tributas iam fuisse. *Hinc* multi, & maximè e Doctioribus, haud sunt inuitandi ad Disputationes; cum probabilis suspicio est fore, vt Disputationes non cum laude, præsertim Respondentis, vel Assistentis, sint habendę. 5 *Licet laudabilis* in disputantibus sit flauę bilis accensio, nam inde ingenium acuitur, & alacritas quędam disputantium exoritur, quæ etiam auditores magis attentos reddere solet; *moderata* tamen esse debet, ne in *Iram*, siue *Iracundiam* erumpat. Nam prȩterquā initiū est *Insaniæ*, quę à sapiētia est remotissima, *reddit* homines pertinaces in suis opinionibus; *obstat*, quo minus argumentationum, ac responsionum vis percipiatur; & *ad conuicia*, ac alia, quæ mutuam caritatem (hęc autem maximè inter Ecclesiasticos, ac Regulares Viros vigere debet) vehementer lędunt, *interdum compellit.* Iracundę contentiones, maledicta, contumelię, contentioneique in disputādo pertinaces ipsimet Ciceroni indignę visę sunt Philosopho; An non magis indignę Theologo? Et vbi quidem siue arguens, siue respondens (id de sola collegę ira censuit etiam Princeps ille, de quo *Sydon Apol lib. 5. Ep. 2.*) in conuicia, siue iniurias erumpit; argumentum est fermè euidens, non aptam argumentationem, vel responsionem prębere posse; nam tunc disputationum vires reponuntur in se inui-

583

inuicem verbis proſcindendo, & tamen ***nihil turpius, ignauius*** nihil, nihil ***muliebrius***, quam in ***lingua potentiam habere***, olim S. Chryſoſtomus ſcripſit. Maximè proprium *Socratis* fuiſſe fertur, quod in diſputando non excandeſceret, nec malignum aliquid, aut iniuriam proferret, ſed potiùs conuiciatores ſuſtineret &c. diciturque etiam S. *Thomas* conſueuiſse aliorum pertinaciȩ, peruicaciȩq; in diſputando cedere ſemper. 6. ***Neque Disputationes*** ſint ***Clamoroſæ***; licet enim is Vocis ſonus adhibendus ſit, vt omnes, qui diſputationibus adſunt, commodè illum exaudire queant, & energia in dicendo quȩdam commendabilis ſit ad conciliandam quoque maiorem auditorum attentionem, nonnulli tamen repellendi ſunt clamores à diſputantium theatro, qui ſȩpè in ruſticis ipſis, plebeijſq; hominibus reprehenſibiles ſunt. ***Vincunt*** aliqui ***Clamore, non Veritate***, vt ex ***S. Aug. Epiſt.***14. habetur. 7. ***Non habeantur*** in Eccleſijs, locisque ſacris diſputationes haud Theologicæ. ***Domus Dei domus Orationis eſt; Domum Dei decet ſanctitudo.*** Imò in illis quoq; vitandȩ forent Theologicȩ, quȩ ſunt clamoroſȩ, exercenturque cum plauſibus illis, qui à plebeijs, imperitiſq; plane hominibus fieri ſolent; quȩ denique more hodierno fieri conſueuerunt. Si locus extra Eccleſias haberi commode non poſſit, ſaltem illȩ habeantur in extrema Templorum parte, & ex qua nominatim haud ſit proſpectus ad Altare, in quo ***Sanctiſſima*** cuſtoditur Euchariſtia, vel ad Altare aliquod ex inſignioribus &c. 8. ***Feſtis diebus, & maximè Celebrioribus***, ne ineantur Diſputationes, ac prȩſertim ad Humanas ſpectantes ſcientias: ***tum quia*** hiſce diebus prȩcipuè ***Deus*** colendus, & obſecrandus; ſȩpè autem conſuetus feſtis diebus Deum colendi mos diſputationum cauſa omittitur à multis, ex quibus nonnulli ad id etiam compelluntur; ***tum quia*** minus tunc frequentare Diſputationes queunt Viri Eccleſiaſtici, & Sȩculares, & Regulares, cum Eccleſiaſticis functionibus & pluribus, & longioribus, quam profeſtis diebus, detineantur; ***tum quia*** tunc adeſt maximè turba plebeiorum, ac idiotarum, quȩ diſputationum quietem, fructumq; impedire ſolet; ***tum quia*** minus ad prȩſtitutam horam adeſse ſolēt illi ſaltem, qui prȩſentia ſua diſputationes cohoneſtant, breuioreſque inde redduntur ſȩpe diſputationes, quam par eſset. 9. ***Diſputandi tempus*** duabus ad ſummum circumſcribatur horis. Longius ſolet eſse moleſtum etiam doctis, prȩcipuè cum in futilibus quibuſdam quȩſtionibus, ſiue verborum ambagibus, cauillationibus, circumlocutionibus &c. verſantur diſputationes. Si hæ breuiores hora ſint, haud qui par eſt, fructus reportari ſolet. 10. ***Vitentur diſputationes*** pro viribus in ſummis frigoribus, & caloribus maximè: incōmoda ſunt hȩc tempora, ***tum*** Diſputantibus, ***tum*** illis, qui Diſputationibus adſunt. Multi prȩterea ſumma ȩſtate vel in Villas, ac Rura cōcedunt; vel ſcientiarum ſtudiū intermittunt, vel

ſaltem leuiùs illo detinentur; ac eorum, qui diſputationes ineunt, vires ſolent eſſe minus vegetæ, adeoq; ingenium minùs quoq; promptum. Conſuetudo tamen in hoc ſeruanda. 11. *Licet tempus* diſputationibus congruum ſit, vel *antemeridianum*, vel *promeridianum*; niſi tamen à prandio duæ ſaltē elapſæ fuerint horæ, illæ inſtituantur. Mens poſt prandiū nequit eſſe valde attenta: & ſi quis conetur mentis obtutum acerrimè in quæſtiones maximè nonnullas defigere, cōgruam citò concoctionem impediet; ac pręterea poteſt tunc quis faciliùs in iracundas erumpere voces. Vrgente neceſſitate, vel cōſuetudine, prandium ſit leuius. Haud tamen imitandi illi, qui à prandio diſputaturi, aut non comedunt, aut ita parum comedunt, vt corporis viribus exhauſtis, aut plus æquo debilitatis animus quoq; ad percipienda, ac explicanda illa, quæ diſputatio exigit, infirmior reddatur &c. Quod nominatim vitandum eſt, ſi ęſtiuis menſibus habeantur diſputationes. 12. *Licet Argumentantium* numerus ſoleat eſſe Ternarius, poſſunt tamen eſſe plures, vel pauciores. Plures potius eſſe debent, vt difficultates variæ circa varias quæſtiones examinentur. Vnus quandoque plurium Arguentium vices ſuſtinere poteſt. Expedit quidem magis vnum, vel alterum habere aptè arguentem, quam plures non aptè. 13. *Paulò amplius* ad ſummum quadrante vna vrgeatur difficultas: ſi longius protrahatur, vt plurimum verba tantum, vel à Reſpondente, vel ab Arguente dabuntur; ac ſæpe difficultatis punctus non attingetur; vel nouam arguens aggredietur difficultatem &c. 14. *Nunquam reſpondens* ſignificet, ſe minori habere in pretio Argumētationes propoſitas, nec Arguens Reſpondentis doctrinam; præterquam enim id hebetis *ingenij* argumentum eſt quandoque non percipientis illa, quæ proferuntur in medium, *iudicij* quoque defectus adeſt; nam quæ laus debetur reſpōdenti, ſi leuibus reſponſionem prębeat argumentationibus, aut Arguenti, ſi futilis eſt Reſpondentis doctrina? 15. *Non multiplicentur inaniter* Verba. Arguēs proferat ſemper in *Sillogiſtica forma* argumentationes: Defendens *Reſpondeat* per **Nego, Concedo, Diſtinguo.** Nec niſi *aliquando*, & *vbi* argumenta nonnulla fuerint propoſita, quę aliquam reuera declarationem exigant, neuter quid explicet, & tunc etiam *breuiſſimè*. Eſt mos aliquorum, vbi ſe vident ab Arguente vrgeri validè, latiùs quædam explicare etiam ad propoſitam quæſtionem non attinentia. Hinc tempus fruſtra inſumitur; nodus difficultatis aut non aperitur, aut nō ſoluitur; ac ſæpiſſimè diſputantes declinant ad quędā difficultati propoſitę haud affinia. 16. *Quando lis eſt de Vocibus* tantum; vel *inania* effunduntur *verba*, & quæ *idem per diuerſas* Voces ſynonimas ſignificant, vel *cauillationes* tantummodo exponuntur &c. haud protrahenda in illis diſputatio. Alijs arguendi locus concedendus. 17. *Licet vt plurimum ab Arguentibus ſingulis*

gulis

585

gulis diuersæ Cóclusiones sint oppugnandę; in nonnullis tamen grauioribus plures audire arguentes vtilissimum est, & maximè dum Varias, nec leues afferunt argumentationes. 18. *Si qui adsint* Disputationibus Viri in doctrina celebres, vbi arguentes suo munere functi sunt, illi vltro obsecrandi, vt vel aliquam iam cęptam argumentationem prosequantur, siue amplius vrgeant, vel aliquam ex propositis thesibus oppugnent. Poterit plerumq; ab his maior sapientiæ fructus reportari, quã ex alijs, qui præcesserunt, arguentibus cunctis. 19. *Remoueantur* pro Viribus à Disputationum loco homines Idiotę, Plebeij, & qui in materia, de qua disputatio initur, haud versati sunt, nisi sint Viri Primarij, qui pręsentia sua disputationes reddere solent celebriores, ac magis honestas. Illi solent verbis, factisq; esse disputantibus molestissimi, disputationesque vehementer deturpant &c. *Cauendum*, ne aliqui ex illo hominum genere cõstituantur ex industria in disputationum loco, vt cum videt nonnullus se valide premi, nec posse aptam præbere responsionem, dato illis signo, non permittant amplius vrgeri difficultatem &c. 20. *Semper adsit* nonnullus, si Respondens ad id non sit aptus, qui breuiter, vbi singulorum argumentationibus finis fuerit impositus, earum vim (vt dicitur) vltimam explicet, illisq; responsionem saltem probabilem afferat, eamque *in forma* allatis propositionibus, prolati quandoq; breuissimè aliqua doctrina auditoribus tunc noua, aut magis explicata illa, quę breuissimè, vel tacitè subindicata iam fuit. 21. *Conclusiones* proponantur de *Quæstionibus maximè Celebrioribus*, & *Controuersis* inter primarios Catholicos Doctores, siue Philosophos, siue Theologos, siue Iuris Vtriusque Consultos &c. Et quarum elucidatio valde expedit, vel Christianæ, vel Literariæ Reipublicæ. Declinandę enimuerò sunt Disputationes de quibusdam leuissimis, quæ nõ tantum non prosunt, verum etiam nocent, ea quoque de causa, quod comminuitur, ac debilitatur generosa indoles, vt loquitur *Seneca Ep.* 48. in quasdam coniecta angustias; ac pręterea illę, quę in Verborum Cauillationibus, Collusionibusque sitę tantummodo sunt, aut esse queunt. Non sint *Multæ* ad ostentationem solùm quamdam, ideoq; moneãtur arguentes, vt certas tantum oppugnent; nec adeo *Paucæ*, vt in eamdem oppugnandam conuenire debeant arguentes, si grauis aliqua quęstio examini subijcienda sit, & non in verbis ludendum. Sint *Breues*, nec *Coaceruatæ* simul multę: sint *Claræ*, nec aliquorum more *Verbis Ambiguis* conscriptę, ita vt illarum sensum vel arguentes, vel alij percipere nequeant; ad decipiendos quidem alios id fit, & vt facilius Victoria ex arguentibus reportetur. 22. *Non proponantur*, tanquam *Theologicæ*, Conclusiones, quæ ex omni, vel maiori parte sunt *Philosophicæ*, vel e contra. Segregentur veræ Theologicæ à veris Philosophicis.

Iniuria, nec leuis eſt, tum Dominæ, tum Ancillæ, ſi in eodem ſedium ordine reponantur ambę. 23. *Remoueantur* illę Diſputationes, in quibus Arguentes omnes iam cum Reſpondente penitus conuenerint. Eas quidẽ quilibet imperitus, dummodo memoria valeat, obire poteſt. Certè in his peccatur apertè contra finem, propter quem illæ inſtitutæ in Academijs, & antequam quis aliquem literarium gradum aſſequatur &c. 24. *In diſputationibus* mutua ſemper beneuolentia ſeruetur: ſi quid contingat proferri, quod reſpondentis, vel arguentis offendat aures, id opinionum, ac rationum Varietati adſcribendum eſt, ac naturæ diſputationis concedendum eſt, vt habuerunt in *Concil. Ferrar. ſeß. 3. Marc. Epheſ.* & *Andræas Epiſcop. Coloſſenſ.* Si quod verbum minùs gratum reſpondenti excidat, ne par arguens referat, nec e contra: Si non apta reſponſio, vel argumentatio proponatur, ne quibuſdam verbis rubor vlli inijciatur. Conſilio *S. Aug. Ep. 14.* adhærendum eſt, *Minùs aſſequatur illa ſcientia, quæ inflat, dum non offendatur illa, quæ ædificat.* 25. *Licet* omnibus, *Tum* in Verbis, *Tum* in Arguendi loco, *Tum* in Sedibus &c. debitus honos tribuendus ſit, iniuriaq; fieri poſſit, nec leuis, ſi id non præſtetur: Diſputantes tamen ſciant præferendam eſſe omnibus *Modeſtiam, ac Sapientiam*; ac inter Diſputantes Primas partes à Sapientibus Viris, qui adſunt Diſputationibus, tribuendas illis, qui in Vtraque magis excelluerit. Legatur ad id, quod habetur *Lib. 8. Hiſt. Soc. Ieſu tom. 1. nu. 13.* de *P. Hieronymo Natali*, ac Reſponſio à Reuerendiſs. *P. Mutio Vitelleſco Sexto illuſtriß. eiuſdem Soc. Generali* anno 1628. data Congregationi Prouinciali *Venetæ*, vt ipſi Patres Societatis adhuc nominant, *Prouinciæ*.



587

Reuerendissimis Patribus Magistris
Ex Illustri SERVORVM B.V. Ordinis
FVLGENTIO MICANTIO
Egregio Concionatori;
SERENISSIMÆ VENETÆ REIPVBLICÆ
Inter Omnes Sapientissimæ
Singulari triginta iam fere annis THEOLOGO;
Mira in Animi Sui Sensibus exponendis
Prudentia prædito;
Ita Omnibus Affabili,
Vt non minùs Dissolutam Comitatem,
Quam Tristem Seueritatem, semper deuitet:
AC LÆLIO CONTESINO
Serenissimi CASIMIRI Poloniæ, ac Sueciæ Regis
CONSILIARIO;
Qui in *Exedra* Philosophiam, & Theologiam docens
Discipulorum Laudes,
E *Suggestu* Diuinarum Vocum Præco
Auditorum Commendationem,
Totique *Præfectus* Prouinciæ
Subditorum Beneuolentiam
Consecutus est;
Ea Morum Suauitate,
Vt Omnium, Tum Suorum, Tum Externorum
Animos ad Se rapiat, illosque etiam moderetur:
Animaduersiones Vigintiquinque
PRO RESPONDENTE
IVLIVS CLEMENS SCOTVS
Placentinus Comes &c.
Mutui in eos Amoris Ergo
D. D. D.

Caput Septimum.

1 N

men ha
vel qui
animi
quoq;
maxim
blicas
que tra
ineptu
cunda
quas tu
ſetur, n
arguen
rumq;
dam ea
telligat
obiectio
uat, qui
eſſe leu
tem indu
præſtan
audire c
petitis n
monere
idoneas
quicqui
addunt,
pertine
les &c.
proferr
ad id ap
ſimulq;
clusione
Theologi
teſt; cu
guentib
detur Re
Ordinis
precibu

1 NVllus *Respondentis munus* suscipiat, nisi re vera sit ad illud idoneus; alioquin hinc dedecus sibi, suisque, & quandoq; ingens, reportabit. Sunt aliqui ingenio præstantes, ac etiam ad scribendum in multis scientijs aptissimi, qui tamen haud sunt apti ad tuendas publice more consueto Conclusiones; *vel quia* memoria minus valent ad repetendas propositiones; *vel quia* animi sui sensus explicare nequeunt commodè, sicuti alij, qui ingenio quoq; mediocri, ac etiam infimo, ad id à natura habilitatem quam maximam adepti sunt. *Hinc*, licet aliquis statuisset conclusiones publicas tueri, quę etiam impressę iam fuissent, & argumentaturis quoque traditæ, aliqua allata excusatione, quam prudentia suggesserit, si ineptum ad id se agnouerit, vel ab alijs sinceris audierit, ab hac obeunda Prouincia omnino desistat. 2. *Non exponat* nisi Conclusiones, quas tueri velit, ac possit. Haud simulatio ingenuo Viro digna censetur, multas, vel aliquas exponere, ac postea ad paucas, vel certas arguentes cogere. 3. *Eligat illas*, in quibus maximè versatus sit; harumq; fundamenta exactè nitatur tenere, in vltimaq; Principia quędam eas resoluat: *Quod si minùs* ipsemet præstare possit, à doctiori intelligat. 4. *Cōtrariæ sententiæ Rationes* pręcipuas, ac validiores, aliasq; obiectiones, quas sibi proponendas probabiliter putat, secum euoluat, quibus claras, distinctasq; aptet responsiones. *Nec sibi persuadeat*, esse leues illas Rationes maximè, quę *Sectarum*, *Scholarumq; diuersitatem* induxerunt, & quarū sunt propugnatores Viri ingenio, doctrinaq; præstantes. 5. *Vtilissimum est*, ab aliquo familiari, maximè doctiori, audire obiectiones pręcipuè Sillogistica methodo propositas, ijsq; repetitis responsiones præbere idoneas: Poterit autem doctior illum monere, quod aliquæ sint minùs idoneæ, idoneasq; vel magis etiam idoneas suggerere. 6. *Ne illos imitetur*, qui proponunt se velle tueri quicquid dixerit *Aristoteles, S. Thomas, Scotus &c.* multoq; minùs, qui *addunt*, se velle tueri, tanquam malè dicta (præcisis ijs semper, quæ pertinent ad fidem) quæcumq; scripserit *Scotus, S. Thomas, Aristoteles &c.* Præterquam enim ad gloriolam quandam hæc in medium proferri queunt, vix vnum, aut alterum quocumq; in sęculo ingenium ad id aptum fas est reperire. Imò non nisi summi sit ingenij, amantissimusq; laboris *de Vniuersa* planè *Philosophia*, vel *Theologia &c.*, Conclusiones proponat, verùm de certa materia, siue *Philosophica*, siue *Theologica &c.* Illud ad ostentationem quamdam sępè solum fieri potest; cuius rei certum plane foret argumentum, si respōdens cum arguentibus conueniret de certis seligendis cōclusionibus. 7. *Haud videtur* Respondentis, ac illius Familiæ, siue Scholæ, siue Instituti, siue Ordinis dignitati congruum, ab arguentibus flagitare, illos cogere precibus &c. vt quasdam tantùm oppugnent Conclusiones, multoq;

I 2 minùs

minùs argumenta proponenda ab illis prius ediſcere, & maximè ad
verbum; id enim indoctus quiſq; præſtare poterit. Certè hic fructum,
quem Diſputationes per ſe proferunt (contra quarum finem ipſe qui-
dem peccat) nunquam aſſequetur. 8. *Breuiſſimam* conficiat, vel con-
fici iubeat *Præfationem*, quæ Diſputationem præcedat. *Imprudens ſa-
ne conſilium*, tempus impendendum in concluſionum ſtudio maximè,
in illa longiori ſcribenda, vel ediſcenda impendere. *Recordetur*, eos qui
ad Diſputationis locum accedunt, non eò accedere, vt Rhetorum
more *Orantem*; ipſum audiant (illius enim ſic *Orantis* locus eſſet aliqua
Politiorum literarum Academia; vel *Rhetorices Schola*) ſed vt ipſum re-
ſpõdentem in Philoſophicis, Theologicis &c. audiant; ac plene ſuas
obijſſe partes pro certo habeat, dum id cum laude præſtiterit. Te-
dio e longruſcula etiam Præfatione afficiuntur Auditores ſapientes,
qui ad alia ſæpe, & conſultò, tunc mentem conuertunt, minoremque
tunc de Reſpondentis iudicio exiſtimationem concipiunt: Ipſemet
quoque Reſpondens aliquando in habenda Præfatione defatigatur,
minuſq; habilis redditur ad ferẽdum Diſputationis onus: Si verò tunc
memoria labatur, & præcipuè ſi cogatur ſubſiſtere ad refricandam
memoriam, poteſt tunc animo cadere, ita vt alacriter deinde diſpu-
tationem proſequi non poſſit &c. Præfatio igitur huiuſmodi ſit *Bre-
uis*, & elegantiori quidem ſtylo aliquam e propoſitis Concluſionibus
explicans latius, non verò genericè laudes comprehendens Theolo-
gię, Philoſophię &c. Nec tota verſetur in laudibus Viri illius, cui
forſan dicatę ſunt Cõcluſiones &c. 9. *Ipſe Reſpondens* diebus Diſpu-
tationem paulò ante pręcedentibus haud curam de imprimendis Cõ-
cluſionibus ſuſcipiat; familiari illam demandet; vel illæ multo ante
ſint impreſſæ. Experientia non ſemel patuit, eos, qui tempus reco-
gnoſcendis diligenter theſibus impendendum, in cõcluſionibus eden-
dis impenderunt, ea diſtractos fuiſſe adeò cura, vt illum, qui ſperaba-
tur ab illis, qui Reſpondentium peritiæ notitiam habebant, honorem
non reportauerint, imò potius dedecus ſibi comparauerint. *Multo
minùs* Reſpondens eos imitetur, quorum præcipua eſt opera in ſump-
tibus faciendis pro theſium ipſarum impreſſarum ornamentis: ſunt
enim aliqui æmulationem in hoc reponentes, vt ſpecioſiora ſuarum
theſium præ alijs ſint ornamenta. *Id* certè nõ eſt æmulari *Chariſmata
meliora*; Sed eſt alijs præcellere Opibus, ſiue pecuniæ Copia, nõ verò
Ingenio, ac Scientia. Haud laus eſt *Virorum*, ſed Puerorum; haud
Sapientum, ſed Minus Peritorum in his palmam alijs præripere co-
nari. *Prodigalitatis* vitium poteſt hìc etiam adeſſe, quod reprehenſi-
bile nominatim eſt in *Viris Regularibus*, qui peculiari Paupertatis Vo-
to ſunt adſtricti. *Fit id* ſæpenumero ad emendũ aliquod beneficium
ab illo, ſub cuius Auſpicijs ſe Reſpondere quis profitetur. *Verum illo*,
ſi ſit

ſi ſit Prudens Vir, impenſas huiuſmodi vituperabit ſępiſſimè, ſuaque Auſpicia ſatis fortunata exiſtimabit, ſi præclarè ſe geſſerit Reſpondens; huncq; tantummodo, non verò illum, ſuo patrocinio ad hoc, vt meritos Gradus, Honoreſq; literarios cõſequatur, dignum exiſtimabit. ***Et cum multi*** quidem retardari queant, licet aptiſſimi, à propugnandis publicè theſibus, eò quod minùs fortunis abundent, quam alij, qui non raro, quò maiores ſumptus in theſium impreſſione facere queunt, eò minus ſunt ad illas tuendas idonei, adeoq; hinc non *doctrinæ* laudem, ſed ***prodigalitatis*** potiùs vituperationem meritò reportant; *Sapientes Prudenteſq; Viri cenſent*, ſtabilem prorſus in qualibet Academia, in cuiuſlibet Religionis ſaltem Prouincia &c. ferendam legẽ de expenſis in literarijs huiuſmodi exercitationibus, cui obſequentem omnino ſe præbeat cuiuſq; conditionis Reſpondens: ***Adduntq;*** extirpandum penitus morem apud multos iam inductũ, Muſicas Voces, Muſicaque inſtrumenta adhibendi, dum Diſputationes habentur; Ex quo factum, vt præter maximos ſumptus (contenditur autem ſępe inter Reſpondentes de Præſtantioribus Muſicis, ſuauioribuſq; Cantilenis obtinendis) ad Diſputationis locum accedant pleriq; non vt Diſputationi, ſed vt Muſicæ interſint; plus temporis tribuatur Muſicæ, quam Diſputationi (cui certè illa haud videtur congrua) ac diſputent etiam illi, qui tam parum doctrina valent, vt cum arguentibus conueniant, & ab illis proferendas argumentationes ante ediſcant. 10. ***Licet à quolibet***, qui in Diſputationibus partes habet, ſit peculiariter ***orandus Deus***, vt peculiari ſua ope ſibi aſſiſtat vna cum ſibi Cuſtode Angelo &c. Facilè enim in publicis diſputationibus ſpecies etiam ordinatiſſimæ hominis cęteroqui docti perturbari queunt, vt experientia compertum eſt; ideoq; nonnulli, antequam ad huiuſmodi publicos actus accedant, ſoleãt aliquas recitare preces, vel proponere, ac interdum etiam vouere, ſe recitaturos v.g. *Litanias B.V.* quinquies Orationem ***propriam Angeli Cuſtodis***, ter ſe inuiſuros ***aliquam Eccleſiam***, ſiue oraturos ad Altare nonnullũ, in quo repoſita ſit ***Sanctiſſima Euchariſtia &c.*** Hoc tamen pietatis opus par eſt, vt exerceatur maiori ſtudio a Reſpondente, cum præcipuum ipſe Diſputationis onus ſubeat, indeque præ alijs dedecus, vel decus reportet. 11. ***Reſumat*** argumentationes (priùs tamen cuicumq; arguenti, qui illius ſtatui, ac Dignitati congruus ſit, nõ autem Rhetorum, vel Aulicorum more, titulo exhibito) adamuſſim, ſiue exactiſſimè pro viribus non mutatis terminis: Ideoq; cum illas primò audit, ne in ſolutionem mentis oculum defigat, ſed in argumentationes memorię mandandas; Hoc autem facilius præſtabit, ſi ***medium terminum*** ab arguente propoſitum ſtatim attendat. 12. *Si longiores ſint argumentationes* (aliquorũ enim, ſed minus peritorũ ſunt hę inſtar Homiliarum) petat ab

arguen-

arguente contrahi, vel ipsemet contrahat, expositis tamen illis, in quibus difficultas videtur sita. *Meminerit*; cum aliquando in vna *Voce*, vel *Particula* argumentationis reposita sit vis, meritò exigi ab Arguente, vt illa apponatur. 13. *Resumat* argumenta sibi proposita initio; ita tamen, vt cum vult respõdere argumento ante aliud proposito, haud illud totum iterum repetat. *Similiter* repetat semper argumentum, neque enim audito illo debet statim dicere, *Nego, Concedo*, vel *Distinguo*, siue *Maiorem*, siue *Minorem*, *siue Consequentiam*; nec superfluè addat, *Concedo Maiorem Propositionem, Nego Minorem Propositionem &c.* 14. *Ex ordine* ad singulas respondeat propositiones: *Tum* vt omnibus meliùs constet, quorsus respõsiones dirigantur; *Tum* ne Respondens ipse per obliuionem, & errorem, aut per fraudē, alias sibi fingat propositiones, quàm ab arguente fuerint propositæ. Vitium est Respondentis grauissimum, non argumentationes propositas resumere, ac interim perpetuò loqui. Hic equidem interrogatus, qualem propositionem *neget*, vel *concedat*, vel *distinguat*, aut penitus nesciet, aut secus producet, quam proposita fuerit. Hinc ad singulas propositiones breuiter respondeatur per ly *Concedo*, *Nego*, *Distinguo*, nominando illarum singulas. 15. *Vera* Concedat, *Falsa*, *Neget*, *Ambigua* Distinguat. Non sit autem multus in Distinctionibus, maximè vbi primum ab arguente proposita argumentatio: Nec distinguat, cum propositio, est neganda. Sit Distinctio *rotunda*, ac breuis, quæ certo alicui termino applicetur; qui si forte in pluribus reperiatur propositionibus, in iisdem eodem plane modo distinguendus. *At cum nihil interest* ad propositæ argumentationis Solutionem, an aliqua Propositio *Concedatur*, vel *Negetur*, & maximè, cum ex illius affirmatione, vel negatione ad alia, quæ ad quæstionem tunc nõ pertinent, vagari necesse foret, dicat *Transeat*; quam tamen vt Cõcessam pro tunc ab arguente assumi posse communiter censetur; ideoq; caueat, ne ab arguente docto ex tali tunc implicita concessione fortius suæ corroborentur argumentationes. 16 *Respondens* sciat exactè Regulas Logicas, ac nominatim proprias vniuscuiusq; figuræ; sæpissime enim argumentationes peccant contra illas, ac præcipuè, Quod *Maiorem* in *Prima*, & *Secunda figura* efforment particularem, ac in *Secunda figura* *Maiorem*, & *Minorem* affirmatiuam conficiant. Similiter plures argumentationes sunt fallacijs expositæ, ac præcipuè, *Quod plures medij termini* assumantur, quod comprobatur maximè cum vox est ambigua; Quod intercedant Vitia *Accidentis*, *Consequentis*, *Causæ pro non Causa*, *Petitionis Principij*, *Ignorantiæ Elenchi*, istisque similia præsertim extra Dictionem posita. Si in *Elencorum* libris fuerit versatus Respondens, facillimè multas eludet argumētationes. Fieri potest sæpissimè, vt quia sunt multi Logicæ ignari, ac nominatim Formæ Sillogisticæ,

nec

nec seruantur leges Arguentis, ac Respondentis, protrahantur longissimè Disputationes, ac sine fructu, & ex illis Veritatis Via reddatur obscurior potius, quam clarior. Aliquorum quidem doctissimorum Virorum fuit mos in singulos dies aliquas e Logicis Regulis legere, ac mente euoluere. ***Logica***, siue ***Dialectica Ars Artium***, ac ***Scientia Scientiarum*** consueuit appellari, cuius ductu ceteræ artes, ac Scientię facilius, certiusque, tum doceri, tum disci, tũ deniq; exerceri queunt. 17. ***Sapienter faciet*** respondens; si velit Arguentem Sillogismum integrum, & in aliquo ex modis primæ figuræ, cum materia id non vetat, conficere. ***Nunquam*** autem in Sillogismo neget Cõsequentiam, nisi Vitium Formæ ostendendo: Nec ***Distinguat Consequens*** (nam ***Consequentia*** non ***distinguitur***, sed solum ***Negatur***, vel ***Conceditur***; superfluè autem illa ***negaretur***, cum negata absolutè est *Maior*, vel ***Minor***) nisi aliquam distinctionem ***Maiori***, vel ***Minori*** præbuerit, vel saltem ambigua, aut apparens deductio consequentis tunc solummodo appareret. 18. ***Nonnisi*** à respõdente coactus, vel nisi forte necesse sit rationem suæ negationis reddere, ne absurdè negare videatur, & tunc etiam ***breuissimè***, aliquid extra Formam proferat. Qui respõdet haud lectoris munus sustinet. Qui multus est in tradenda, dum disputatur, doctrina, præterquam cõtra Disputationis leges peccat apertè, clarè indicat, se non esse ad Respondentis munus idoneum, nec satis callere Conclusionum materiam, vel quæstionem, quam oppugnandam proposuit. Mos est plurimorum, vbi se vident argumento premi, velle explicare nonnulla; & non rarò accidit, vt explicẽt aliqua non attinentia ad quæstionem, nuda dent verba, idem synonimis vocibus significent; ***aliqui*** verò præbent etiam arguentibus copiosiorem, efficacioremq; arguendi materiam; ***alij*** etiam consultò id faciunt, vt longius protracto disputationis tempore, tædioq; affectis auditoribus, validioribus, quas forsan præsenserunt, argumentationibus vrgeri nequeant. Nihil hoc certè est molestius sapientibus Auditoribus; qui ***ad Scholas*** enimuero accederent, vel accessissent, si huiusmodi lectiones audire voluissent. Vbi quidem Arguens finem imposuerit, aliqua breuiter in medium proferre ad maiorem elucidationem, erit laudabile. 19. ***Numquam Respondens*** in argumentantem transeat, etiamsi videatur id arguens exigere, vt cum petit sibi afferri rationem conclusionis nudè prolatæ &c. Multoq; minùs obiecto argumento argumentantem cogat ad respondendum; sic enim propositi argumenti cursus abrumpetur; apertumq; effugij signum erit. 29. ***Nunquam*** argumentationes, & maximè ab ***arguente docto*** propositas, se minori habere in pretio significet: ***tum quia*** sæpe ***maioris*** ponderis possunt esse, quam ipsemet putet, & à Viris Sapientibus, qui adsunt, ***maximi*** etiam censeri possunt; ***tum quia*** poterunt illæ forsan validius vrgeri,

&con-

& confirmari ab *irritato* arguente: *tum quia* fieri potest, vt arguens in gratiam respondentis, quem norit esse minus aptum, caritatis, ac modestiæ memor minùs validas exposuerit, cui potiùs de hoc gratiæ forent agendæ; *tum quia* contra easdem Virtutes peccaret respondens, si vellet quasi insultare homini maximè cæteroqui docto, qui non adeò validas proponeret re ipsa argumentationes, vt pote qui alijs detineatur occupationibus, vel qui earum scientiarum, de quibus initur disputatio, studium iam omiserit, ac præcipuè si ex improuiso arguere quasi cogatur. *Suò Honori* magis *Respondens* cõsulet, si in multo se habere pretio cuiusq; argumentationes declarauerit: Sibique laudi maximę tribuat nominatim, 'quod cum Viro Docto disputans illius argumentationes soluerit. *Verum* præ cæteris maximè reprehendendus ille foret, qui cum de argumentis iam conuenisset, illaque ab arguentibus didicisset, in disputationis loco hosce contemnere videretur: Non ne dignus foret (vt alicubi accidit) qui ab arguente coram astantibus disputationi conuentione indicata, idem argumentum, vel aliud premente, ad obmutescendum cum rubore cogeretur! 21. *Sciat Respondens* non peccare se; *dum* aliquarum significationem vocum ab arguente propositarum ignorans, earum vim ab *illo* petit; nec *dum* renuit respondere, vt sic argumento à Paritate; *illud enim* non est ex *proprijs*; nisi saltem eadem planè ratio vrgeat. Oporteret, vt respondens esset in omnibus planè scientijs versatus, earumque Principia plenè teneret, si omnibus argumentis à paritate deductis responsionem exactam præbere vellet. 22. *Ne imitetur eos*, qui contendunt cum *Assistente*, nec sinunt se ab illo in rectam, à qua aberrauerunt, viam dirigi. 23. *Si Argumento*, à Viro maximè doctiori proposito, responsionem afferre idoneam nequeat, ingenuè id fateatur; hæc ingenuitas miram sibi auditorum sapientum beneuolentiam cõciliabit, ac inanibus verbis, quę effunderet, solummodò fucum imperitis faceret. In hac litteraria palęstra à viro doctiori superari haud dedecus est. 24. *Postfatio*, siue **Gratiarum** Actio Breuis sit, soluta oratione, non vincta (hæc enim Respondentis grauitatem haud decere videtur) elegantioribus composita verbis, & non ridiculis quibusdam vocibus siue conceptibus, Solæcismisq; ac Barbarismis exposita, quorum memoriam ad risum excitandum auditores sint deinde excitaturi &c. 25. *Dimissis* cum honore Auditoribus, secum iterum euoluat argumentationes, & maximè validiores, solutionesq; exhibitas; *Videatq;* an hæ fuerint aptæ, an aptiores reddi potuerint; quas solutiones, si magis pressus ab arguente fuisset &c. *pro Quanam* sententia videatur Veritas magis stare &c.

Perillustribus, ac Excellentissimis I. V. D.

D. IOANNI GALVANO PAT.

CRIMINALIVM QVAESTIONVM

In Patrio Gymnasio Eruditissimo Lectori;

CAPITALIVMQVE CRIMINVM

In Patrio Foro Valde Insigni Patrono;

Quem in Grauissimis quandoque Causis

Prudentissima VENETA Respublica

Consiliarium adhibet;

Cui propter Sapientiam pariter, ac Liberalitatem

Ampliores adhuc Honores, Fortunasque

Publici Amantes Boni

Exoptant:

AC D. IOANNI MICHAELI

PIERVCCIO A Colle FLORENTINO,

Ex Antiqua, Nobilique BONDICHIORVM

Lucensi Familia Oriundo;

In Pisano olim, In Patauino nunc Lyceo

Eximio Ciuilis Iuris Professori;

IN DIVINIS LITERIS,

Philosophicis, Mathematicis, ac Medicis Disciplinis

Versatissimo;

Hominum Sapientum re ipsa Amantissimo:

Animaduersiones Vigintiquinque

PRO ARGVENTE

IVLIVS CLEMENS SCOTVS

Placentinus Comes &c.

Vtriusque Virtutum Cultor

D. D. D.

Caput Octauum.

597

1 E *Propositis Conclusionibus* vnam, aut alteram circa quæstionem, cuius ipse iam habeat notitiam, seligat; neque enim si primò tunc illius omnimodam velit acquirere intelligentiam, difficultatis nodum vt plurimum assequetur, vel congruas excogitabit argumentationes. 2. *Seligat* etiam Conclusionem *Controuersam*, ac præsertim, quę suæ aduersa est Opinioni; intellectus enim magis promptum semet exhibebit ad nouas etiam inueniendas rationes oppugnatrices contrariæ, vel magis propriæ confirmatrices, quibus ad oppugnandas alias facilis aperitur aditus. 3. *Difficultatis punctum* prę omnibus intelligere satagat, & ad illud omnes suarum argumentationum neruos dirigat, siue intendat. 4. *Principia eorum*, contra quos est argumentaturus, optimè teneat; secus enim leues erunt argumentationes; & vbi vnam, aut alteram ex his protulerit, si Respondens suo muneri idoneus sit, obmutescere cogetur. 5. *Amplificet argumenta*, quæ ipse nouit, vel ab alijs peritioribus audiuit, esse difficilia, licet eidem adhæreat sententiæ Respondentis: Non leuis est fructus, qui reportatur ex audiendis varijs Responsionibus, quæ prębentur eidem argumento, quod validum existimatur. 6. *Reflectat supra Responsiones*, quas afferri posse à Respondente probabiliter putat, illasque semper oppugnare conetur. Si satis peritus sit, fingat se tanquam suis Argumentationibus Respondentem. 7. *Calamo describat* argumentationes cum Responsionibus, quas sibi afferẽdas esse putat, &c. *Calamus* est *optimus recti Index*, & ex eo facilius vis Argumentationum, ac Responsionum haberi potest, quam si mente tantummodo, à Iuniore præsertim, illæ euoluantur. 8. *Vtilissimum est*, cum aliquo, & maximè doctiori, confectas à se argumentationes conferre, illiusq; responsiones audire, ac postea illas oppugnare. Sibi tunc penitus incognitæ, ac nouæ responsiones occurrere queunt, contra quas excogitandæ argumentationes. *Præterea* hoc est ad futuram Disputationem veluti Præludium, siue Progymnasma. 9. *Haud in Scientijs* proficiet ille, vel aptè satis, & ex corde (vt vulgo fertur) argumentabitur ille, qui veluti psittacus aliorum opera confectas argumentationes in medium proferet. Ille quidem proficiet, qui, vbi suas excogitauerit argumentationes, aut etiam illas calamo exarauerit, peritiori illas communicabit, vt addat, vel demat, quod libuerit: Addita verò, vel Dempta diligenter notet; nam futuris disputationibus, ne dum præsenti, opportuna esse poterũt. 10. *Breues sint* Argumentationes, nec instar aliquorum Homilię sint. Longiores aliqui proferunt; *vel quia* ignorant, quęnam sint laudabiles Disputationum legitimarum leges; *vel quia* naturaliter sunt loquaces; *vel quia* difficultatis nodum intelligentia non assequuntur; *vel quia* Pulpitis potius, quam Exedris assueti sunt; *vel quia* Respon-

denti aliquam notam inuerere volunt, inuidiq; sunt honori, quem reportaturus esset, si breues fierent, easque commode posset repetere &c. Non nisi vehementer reprehensibile id esse potest. Velletne Arguens, vt sibi respondenti huiusmodi Argumentationes proponerentur? ***Ingenij, Iudicij***, & ***Caritatis*** hic defectus latent. 11. ***Hora præfinita*** ad Disputationis locum accedat, potiùsq; præueniat longè tempus, quam postponat; nec licet secundo, aut tertio loco argumentaturus sit, post cęptam disputationem accedat; ***tum quia*** ipse vnus est quoq; ex auditoribus præcipuis; ***tum quia*** sic cæteros arguentes videretur contemnere; essetq; dignus, vt cęteri arguentes, dum ipse argueret, se e disputationis loco remouerent. ***Esset verò illiberalis animi, minusq; morigerati*** ea hora, qua disputatio habenda foret, non ad eam accedere, impedimentumq; Simulare: Si hoc re vera accessit, vbi quis arguendi onus suscepit, vel dubitat de illo tali die, vel hora futuro; tempestiuè Respondentem moneat. Non seruare in hac re fidem, quę equidem haud leuis est, præterquam ingenuum Virum haud decet, potest huiusmodi actio esse peccaminosa, & quandoque etiam grauiter, eo etiam nomine, quod sic videntur contemni non solum Respondens, & Assistens, verum etiam cæteri Auditores, grauisque perturbatio oriri potest in tali Actione, & maximè, si ea hora, in qua disputatio habenda est, ipse non adsit, vel paulò ante solùm moneatur Respondens, quod ipse adesse nequeat. 12. ***Locum adeat sibi congruum***, ac designatum, nec imparem personæ, siue suæ conditioni sedem occupare contendat. 13. ***Haud præfetur***, vel longiora initio proferat verba e Rhetorum officina deprompta. Non pauci quidem in huiusmodi Præfationibus texendis, ac ediscendis tempus magis, quam in argumentationibus, impendunt: Illas memorię mandare sępe officit, ne quis exactè argumenta teneat, istaq; in mediũ proferat; & tamen hoc, & nõ illud ab arguente exigunt periti Aud. Si cõcinne præfetur, laudẽ Rhetoris reportabit haud debitã personę, quã tunc sustinet: Nõ rarò autem hę Pręfationes solent esse inconcinnę, ridiculę potius, adulatorię &c. 14. ***Explicet Conclusiones***, quas maximè oppugnandas suscepit; easque legat, non tamen integras, si longiores sint, sed tantummodo conclusionis partem, contra quam arguit, nisi tota impugnanda sit. Si autem solum cõtra vnam e Conclusionibus arguere velit, ac argumenta excogitarit, ne contra duas, aut tres argumentum vnum, vel alterum initio proponat. 15. ***Argumenta*** proponat in Sillogistica Forma, & huiusmodi Formam prosequatur semper; Memor autem sit; ***Tum*** iuxta Philosophum e quatuor argumẽtationum speciebus duas tantum esse scientificorum proprias, ***Sillogismum***, ac ***Inductionem***; adeoque posse à Respondente cogi ad reuocandum Entymema ad Sillogismum; neque

enim

enim Enthymema perfecta consequentia, seu ratiocinatio est: *Tum* iuxta Philosophum quoque, *Quatuor Primæ Figuræ Modos* esse cęteris euidentiores; cęterarumq; figurarum modos censeri imperfectos, si cum illis comparentur, nec habere vim concludendi efficacem, nisi quatenus fundantur vltimo in *Principijs Primæ Figuræ*; adeoq; etiam posse à Respondente cogi ad efformandos Sillogismos in Prima figura, maximè cum ratio suadere videatur, vt ad Veritatem latentem pro virili manifestandam clarius, magis opportunum ad id adhibeatur instrumentum. 16 *Paucissimæ Argumentationes* difficultatis punctum pręcedant: in illo insistendum; breuissimè, ac dilucidè explicandus ille, ita vt omnes Auditores percipiant, in quo verè sita sit proposita difficultas. 17. *Probet Maiorem*, vel *Minorem* negatam; aut *Distinctionem* impugnet, ita vt in Conclusione probetur *Maior*, vel *Minor* negata, vel directè *Distinctio oppugnetur*. Caueat verò, ne ad alia probanda, quę ad eamdem etiam thesim spectarent, multoque magis, si ad distinctam Conclusionem, siue thesim attinerent, digrediatur, etiamsi Respondens id pręstandi occasionem pręberet; quod consulto facere potest vi argumentorum iam propositorum pressus. 18. *Intelligat*, Argumentationes ad *Hominem*, siue *Petitas e Principijs Doctrinæ Defendentis*, vel ex *Verbis ipsius in Disputationis decursu prolatis* esse validissimas; inualidas verò sæpe, quæ petuntur à quibusdam sequelis absurdis &c. nam huiusmodi sequelæ, tanquam necessarię, & congruæ admitti queunt sæpè à Respondente iuxta sua Principia. 19. *Animaduertat*, cum Respondens proponat Conclusionem, non verò Rationem Conclusionis oppugnandam, non cogendum, imo nec posse illum cogi ad illam exponendam, ne dum propugnandam. Ex. gr. si quis contra Conclusionem asserentem, *Cælum esse corpus corruptibile*, ita argueret; *Si Cælum esset corruptibile, maximè propter phænomena recenter visa in Cælo: sed hæc non probant, Cælum esse corruptibile. Ergo &c.* Potest Respondens, negare Arguenti tunc se propter hanc rationem sustinere, *Cælum esse corruptibile*; & si aliam quærat arguens, affirmare meritò poterit, se non teneri vllam afferre; sustinet enim tunc respondentis, non arguentis personam; Arguentis munus esse probare: Cautela sophistica hæc est, postulare rationem à respondente. *Multò minùs* cogendus est respondens ad suam responsionem probandam, nisi forte negata Inductione petenda sit Instantia, vel negata Consequentia Sillogismi Vitium in Forma demonstrandum sit. *Non sunt confundendæ partes Argumentantis, ac Respondentis*. In Foro etiam Politico Actor impacti criminis probationi insistere debet, non autem omissa probatione reum ad suam demonstrandam innocentiam cogere; si id pręstaret, aut calumniari, aut tergiuersari vi-

rì videretur. 20. *Ne argumenta plura* ſimul proponat, ſed vnum tantummodo pro ſingulis reſponſionibus. Id confuſionem pareret, eſſetq; nimis moleſtum reſpondenti: Qua de Cauſa etiam, *non prius aliquam* propoſitionem probet, quam à reſpondente fuerit negata. 21. *Paucisſima*, ac perrarò, extra *Formam* proferat, illaque ſint ſolùm ad elucidandam propoſitam difficultatem. Licet tamen arguenti doctiori laudare breuiter reſpondentem, maximè ſi ſit *Iunior*, ſi laudibus dignus ſit, & ad addendam quoque illi alacritatem, pręcipuè dum eum aliquo premi timore conſpiceret. 22. *Qui argumentatur* in *Theologicis Scholaſticis* argumenta proponat ante cætera è locis Theologię proprijs eruta, hoc eſt, *E Verbo Diuino*, ſiue *Scripto*, ſiue *Tradito*; E *Concilijs* Generalibus; E *Decretis Pontificijs ex Cathedra*; ex *Auctoritatibus SS. Patrum*, etiam probabiliter ſuadentibus: Qui in *Philoſophicis*, ac *Mathematicis*, ex *Ratione Naturali*: Qui in Iure *Canonico*, & *Ciuili*, *Theologia*, ac *Philoſophia Morali*, ex *Ratione* ſimul, & *Auctoritate*. Auctoritates autem, quas affert, ſint legitimę, & ad vnguem, nec vlla particula malitioſè ommittatur; eas autem afferre cũ antecedentibus, & ſubſequentibus, vt in originali prælegerit, iuſtum, æquumque eſſe videtur. *Si cum* habentur diſputationes de *Theologicis*, adeſſent Sacrus Codex, Conciliorum Volumina, S. Auguſtini, aliorumque Primariorum Patrum &c. Libri; ſi dum de *Philoſophicis*, adeſſent *Ariſtotelis* Libri; ſi dum de *Iure Canonico*, ac Ciuili, *Textus Vtriuſque Iuris* adeſſent, & auctoritates, quæ afferrentur, in illis recognoſcerentur, arguẽs magis Sollicitus eſſet circa textũ integrè, ac ſincerè afferendum, & exquiſitior allatæ auctoritatis notitia haberetur; Certè Maior fructus e diſputationibus à quolibet reportaretur. 23. *Vbi norit ſuas argumentationes* ſolutas, ne inanibus verbis tempus terat: aut aliam Concluſionem, vel eamdem etiam nouo medio termino exagitet; aut ſileat omninò: & dum adęquata omninò propoſito à ſe argumento ſolutio data fuerit, ne ex quadam animi elatione contrarium vllo etiam corporis motu ſignificet; Commendet tunc potius reſpondentem. Fieri quidem poteſt ſæpe, vt Reſpondens idoneam præbuerit reſponſionem ſuis conformem Principijs, quę tamen haud talis arguenti minùs docto videatur. *Si minùs* verò aptè ſibi re vera reſponderi nouerit, ne ita validè premat reſpondentem, vt velit illi ruborem inijcere; vrgeatur aliquantulum difficultas, ac poſtea ſilentium ſibi imponat. A Prudentibus Viris, qui adſtabunt Diſputationi, *tum* doctrinæ, *tum* modeſtiæ laudem ſummam tunc enimuerò arguens conſequetur. *Viro* doctiori arguenti erit laudabile etiam reſponſionem ſuggerere Reſpondenti aptam, ipſimet argumentis, quæ proponit, velatam.

24. *Dum*

24. *Dum videt , vel audit* , esse auditoribus molestum ; vt ipse prosequatur argumentum , licet illud esset valde efficax , desistat ; nec licet Respondens , & Assistens innuerent , vt prosequeretur , illis morem gerat , dum hinc clamores , strepitusque ciendi forent, idque ingratum circumstantibus futurum esset . Ad quid enim illa tunc ingenij , corporisque virium exinanitio ? *Pertinaciæ* solum cuiusdam potest non rarò id esse argumentum , & maximè , cum *non vrgetur* difficultas , sed eadem , quæ ante, premitur , vocibus quibusdam tantummodo immutatis ; *Si autem magis vrgeretur* difficultas ; Cur non ante id præstitum , tempusque impensum in alijs , quæ leuis erant ponderis ? Non ambages , ac circumlocutiones amplectendę erant initio arguenti : Sibi ipsi tribuat, quod tunc argumenti sui vim , siue virtutem aperire , vt par esset , auditoribus tædio affectis ex præcedentibus argumentationibus , nequeat. 25. *Vbi finis disputationi impositus* fuerit , secum reuoluat *tum* argumentationes à se propositas , *tum* solutiones expositas , siue à respondente , siue ab Assistente ; *Examinetque* ; *An* illæ magis vrgeri , amplificarique potuerint ; *An* hæ adæquatæ , & quæ vires argumentationum eneruent ; *An* aptiores pręberi potuerint ; *Attendatque* pręsertim nouas argumentationes , quę sibi forsan tunc occurrerunt , ac *nouas* solutiones , quæ in mentem sibi haud venerant , etiamsi in eadem cum Respondente staret sententia ; & *Qua ratione* aptius eadem thesis oppugnari posset .

Si Vir Doctus Disputationi præsens obsecretur , vt argumenta proponat , vel prosequatur alicuius arguentis argumentationes , haud renuat , si id cum laude pręstare possit ; sunt enim nonnulli valde Sapientes Viri , qui ad arguendum sunt parum apti : licet autem ad id sit re vera habilis , si argumentatio iam proposita sit leuis , vel iam soluta , illam non prosequatur , sed nouam efficacemque rationem proponat ipse contra eamdem conclusionem; Quę si sibi non occurrat tunc , aut etiam Conclusio eam non admittat , aliam thesim oppugnandam suscipiat : *Grauitatis* autem, *Modestiæ , ac Breuitatis* sit maximè memor : Dum cognosceret tamen, id fore ingratum Auditoribus , licet gratissimum Respondenti , & Assistenti , eò quod tædio longiùs protractis iam disputationibus affecti sint , & minori cum attentione audiendus sit , sileat omninò . Nunquam verò prosequatur argumentationem iam propositam ab aliquo Viro Docto , vel Magistro &c. Videretur enim illi iniuria fieri, quasi non fuerit ad id ille habilis , & præterea se videretur profiteri Præceptorem illius , vel illo Doctrina præstantiorem; Quod licet re ipsa verum esse possit quandoque, hic tamen

sensus

ſenſus haud poteſt aliorum, ac nominatim huius eſſe. *Vitandæ omninò ſimultates* cum *quocumque à Viro ſapiente*; qui quò *Sapientior*, eò *modeſtior* eſse debet. Eamdem tamen Concluſionem diuerſo medio oppugnare ipſe poterit. In hoc, ſicut & in alijs, laudabiles cuiuſque Academię, ac Loci ſeruandę Conſuetudines.



Perillustribus, atq; Excellentissimis D.D.

D. FORTVNIO LICETO GENVENSI

Qui Bononię EMINENTIS Philosophi Cathedra decoratus
In qua post FEDERICVM PENDASIVM Mantuanum
Philosophum Celeberrimum, Suumq; Præceptorem
Nullus quadraginta ferme Annorum spatio docuerat;
In Antenoreo deinde Gymnasio
Ad Supremã euectus est Theoricę Medicinę Cathedram,
Quę pluribus annis omni Sessore Vacua fuit
Post Illustriss. Viri POMPEII CAIMI Vtinensis obitum
(Cuius in *Medicis* Laudes, nunc in *Cæsareo Iure*
Mirificè Comes IACOBVS CAIMVS Nepos æmulatur)
Atq; præter complures editos multiplicis Scientiæ Libros
Scriptis modò Duobus de *Lucernis*, ac *Gēmis* Voluminib.
Monumenta relinquit omne in Æuum cōmendanda:

AC D. IOANNI COTTVNIO
VERIENSI *Philos. Medic. & S. Theol.* DOCTORI

Patauinæ Academiæ Philosopho Primo;
In Obscurissimis Naturalium Rerum Quæstionibus
Dilucidandis optimo sanè iure Laudatissimo;
Adeo in Aristotelici Textus Expositione Accurato,
Vt Celeberrimis *Peripateticæ Doctrinæ* Interpretibus
Multis præferri meritò possit;
In cuius libris multiplex Eruditio, cōmendabilis Elegātia,
Ingenium, Iudiciumq; Sublime Elucent:
Animaduersiones Vigintiquinque
PRO RESPONDENTI ASSISTENTE

IVLIVS CLEMENS SCOTVS

Placentinus Comes &c.
Amborum Sapientiæ Præco
D. D. D.

Caput Nonum.

L

1 P

minet C
cum *Pr*
ter puta
diligent
quid mi
Claſſica
ille tene
medium
ſe forſan
ipſemet
doctiori
congrua
tamen n
num eno
re poteſt
velit. 4.
illo, quo
cluſione
&c. diſt
corporis
Experien
inmeritò
turi, ali
tionem p
adeſt Diſp
illi opem
rum &c.
tierit arg
&c. Si au
ximè, inu
animo ca
in Vniuer
arripiend
7. *Reſpon*
aptiſſima
reſponſio
rare ſolen
illa præbe

1 PRo certo habens decoris, vel dedecoris, quod Respondens reportabit, magna ex parte saltem se participem futurum, omnes industriæ neruos adhibeat, vt Respondens partes suas cum laude obeat. 2. *Cum Respondente* singulas examinet Conclusiones; harum à Respondente *Rationes* exquirat simul cum *Principijs*, ex quibus illæ deducuntur; *argumenta*, quæ probabiliter putat contra illum afferenda, ipsemet proponat, repetiq; ab illo diligenter, responsionesq; afferri iubeat; S*i non* aptè respondeat, si quid minus sciat &c. Suggerat ipse, doceatque. Vt Fundamenta Classicarum, controuersiarumq; opinionum inter Scholas præsertim, ille teneat, enitatur; nec aliqua ex eo quod videri possent leuia, in medium afferre omittat; *tum quia* sępe errari in huiusmodi iudicio ipse forsan animaduertit; *tum quia* etiam proprio periculo aliquando ipsemet experiri potuit, aliqua huiusmodi argumenta, dum a Viro doctiori vrgebantur, molestissima sibi fuisse, & non satis quandoque congruas responsiones illis exhibitas. 3. *Quasdam Distinctiones*, quæ tamen non sint Verborum lusus, in quibus sita esse potest quæstionum enodatio, & quarum legitima Virtute arguentium ictus declinare potest facillimè, Respondenti tradat, easq; argumentis applicari velit. 4. *Haud sinat diebus* Disputationis proximis, ac præsertim die illo, quo habenda est Disputatio, Resp. curis spectantibus ad Conclusiones, ad locum Disputationis etiam ornandum, ad Auditores &c. distrahi; sed ipse, vel alius horum curam suscipiat, omnemque corporis, ac multò magis animi molestiam à Respondente amoueat. Experientia sæpissimè patuit, nonnullos, qui censebantur, ac non immeritò, præclarè huiusmodi respondentis Prouinciam administraturi, aliqua animi ægritudine præsertim pressos tempore Disputationem præeunte, vituperationem sibi, suisque comparasse. 5. *Vbi adest Disputationis hora*, alacritatem Respondenti addat; spondeat, se illi opem laturum, cum opus fuerit; ac illius honorem sibi cordi futurum &c. 6. *Disputationis initio*, vbi Respōdens duo, aut tria *aptè* repetierit argumenta, addat illi animos asserens ipsum præclarè se gerere &c. Si autem *non aptè*, vel erret in responsione, ne in illum, tunc maximè, inuehat; timeri enim rationabiliter potest, ne Respondens animo cadens, siue despondens se inhabilem reddat ad arma, quæ in Vniuerso Disputationis conflictu ad se tuendum necessaria sunt, arripienda; ac denique argumentorum telis penitus succumbat. 7. *Respondentem nunquam interrumpat*, dum aptè respondet, licet non aptissimam præbuerit responsionem, multoq; minus priorem aptam responsionem reuocare iubeat. Plerique saltem ex auditoribus ignorare solent, an aptissima, & an iuxta Respondentis Principia aptior illa præberi potuerit. 8. *Necesse est planè*, vt Assistens conuenerit cū

Respondente circa quædam Principia, dum Assistens non fuerit actu Respondentis Discipulus; nam eiusdem etiam Scholæ sectatores nō eamdem semper sequuntur sententiam, ac sæpe, licet in sententia conueniant, non tamen in ratione, vel modo illam tuendi &c. Nisi id attendatur, fieri potest sæpissimè, vt iuxta sua Principia Respondens aptè **Concedat**, vel **Neget** aliquam propositionem, non verò aptè iuxta *Assistentis* Principia; *qui si velit*, vt Responsio afferatur iuxta sua Principia, Respondens, qui in aliorum incubuit studium, perturbabitur facillimè, & non consequentes ad hæc Principia sibi noua responsiones præbebit, vel modo iuxta hæc, modò iuxta propria illas proferet. 9. *Cum probabiliter existimat*, propositionem aliquam esse Respondenti minùs notam, siue ignorare Respondentem, an Concedenda, an Neganda sit, ipse Capitis nutu, vel subimissa Voce, vel alio exteriori signo indicet, Quid à Defendente præstandum sit. Nunquam verò innuat esse distinguendum, nisi norit *Distinctionem* esse Respondenti notam; secus enim vbi hic dixerit, *Distinguo*, obmutescet. Non permittat autem, vt vllus, & maximè si fuerit e condiscipulis, ac imperitioribus, Respondenti proximus Responsionem suggerat; *tum quia* ad rem hęc sępe non erit; *tum quia* sæpissime Respondentis intellectus perturbatur, & præcipuè si diuersa suggerantur. 10. *Si quando erret Respondens*, in aliquem rectum sensum illius verba interpretari conetur: Quod si nequeat, breuiter suggerat, quid respondendum sit, vel ipsemet in medium proferat; humaniterque Respondentem moneat, vt allatæ responsioni subsequentes accōmodet responsiones. *Non permittat* autem, vt responsiones nō rectæ longius protrahantur, sed statim Respondentem moneat; Caueatq; ne ineptas, incongruasq; exhibitas responsiones mordicus tueri velit. Tale patrocinium homine sapiente indignum plane existimet. *Attendat* peculiariter; ne Respondens concedat aliqua arguenti, quæ extra formā ipse tanquam vera captiosè petit concedi; nam potest anguis in hac latere herba &c. 11. *Iuuet ipse vacillantem* aliquando Respondentis memoriam, & cum satis est vnam, aut alteram suggerere vocem &c. Ne verba multiplicet; secus molestiam, *tum* respondenti, *tum* cæteris auditoribus allaturus &c. 12. *Vbi primum* argumentationem audit, mentis oculum in difficultatis nodum, quem vltimò petit argumentatio, defigat, solutionemq; excogitet; & iuxta illam Respondentem dirigat. 13. *Si quando argumenti* propositiones nimis protrahi videat, nec arguens etiam monitus illas contrahat, siue quia nolit, siue quia non valeat; ipsemet breuiores illas reddat, totamq; argumentationem Respondenti proponat soluendam. Similiter dum arguens non vult, aut ignorat argumentum in Sillogistica forma, eaq; congrua construere, id ipsemet præstet, iubeatq; a Respon-

spondente repeti. Si ad hęc habilis fuerit Respondens, illi hęc omninò permittat. 14. *Attendat sollicitè*, an argumentum propositum *sit* in Sillogistica forma, *peccet* contra vllam Sillogisticam Regulam, & maximè, an sit Sophisticum, ac obnoxium vitijs, quæ ab Aristotele in libris Elenchorum reponuntur; & an, licet etiam Respondens concesserit *Maiorem*, ac *Minorem*, adhuc possit distingui, aut Negari *Consequens*, vel etiam Negari *Consequentia*; indicetque respondenti, si hęc non animaduerterit. Ipsi quidem curandum est, quam maximè, vt ad asequendam Disputationis virtute Veritatem aptius instrumentum pro viribus adhibeatur, viaq; breuior, ac certior ad illam adeatur, & quidam tortuosi flexus declinentur. *Hinc* illi adhibenda quã maximè opera, vt leges Disputationis, hoc est tũ *Arguentis*, tum *Respondentis* exactè seruentur: *Sciat verò* multos abusus in Disputationes irrepsisse, e quibus fit, vt sępissimè nullus, vel leuissimus ex illis fructus experientia teste reportetur, cum tamen ad veritatis assecutionem quam maximè vtilem esse Disputationis vsum apud omnes Sapientes fuerit, sitque in Confesso. 15. *Si Respondens* fuerit minùs aptus ad explicationem doctrinæ &c. haud sinat illum id præstare, multoq; minùs iubeat id ab illo præstari. *Intelligat autem*, tunc Respondentem suas perfectè obire partes, cum *Negat*, *Concedit*, *Distinguitq;* aptè propositiones; nec teneri illum afferre rationem siue *Conclusionum expositarum*, siue *Negationis*, *Concessionis*, ac *Distinctionis* propositionum Sillogismi ab arguente propositi; solumq; aliquam posse afferre explicationem doctrinæ extra Formam, cum aliqua videtur concessa, vel negata propositio, quę auditoribus peritis videatur, aut videri possit immeritò concessa, vel negata. Multò minùs ipsemet explicare, longius maximè, doctrinam vllam aggrediatur, si in explicatione multas non habeat laudes. Norit autem huiusmodi explicandi munus in Disputationis loco haud ad ipsum spectare; functus erit cum laude munere suo, si Respondentem in disputationis cõflictu cadentem, aut sustentet, aut erigat, aberrantem dirigat, & prę clare se gerentem foueat. Norit, tunc se laudes Assistentis pro merito obtinere copiosas, *si ipse taceat omnino*, eo quod Respondens aptissimè munere suo fungatur. Gloria Assistentis quam maxima est, talem instituisse Respondentem, qui *ipsius opera haud* indigeat. Certè nisi quid nouum, ac præclarum, siue totam verè dirimens quæstionem afferat Assistens, vel ad quemdam maiorem Arguenti, qui sit Vir aliquis Primarius, honorem exhibendum, etiam si idoneè isti responsum fuerit, quid quam proferat Assistens, & tunc paucioribus verbis pro viribus 16. *Nunquam Respondentis vices ipse* sumat; Vilescit hinc Assistentis munus, ac Defendenti honor detrahitur, dum haud arguens iam habet sibi propositum Respõdentem, sed Assisten-

tem

tem oppugnare: Dedecus autem summum reportaret, si non concinnas afferat responsiones. *Peccatur in hoc grauissimè à pluribus*, qui clarè ostendunt se habere, vt vulgo dicitur, pruritum loquendi, sonoras voces suas auditoribus manifestandi, lectiones publicas habendi &c. Si non aptè respondetur, neq; Respondens potest dirigi, ita vt aptè ille respondeat; optabilius est, vt quantocius disputationi finis imponatur, quam ipsemet Assistens vt plurimum Respondentis vices sustineat. 17. *Cum nullo ex Auditoribus*, saltem longiùs, loquatur, sed sollicitè totam Disputationis seriem attendat; præterquam enim id cęteris Auditoribus erit exempli, Respondenti adduntur animi, cum videt accuratè sibi Assistētem inuigilare, ne quid effluat eo theatro minùs dignum, minusq; suæ congruum doctrinæ &c. 18. *Nunquam cum Respondente contendat*, multoq; minùs, licet nō aptè respondeat, acrioribus, vel acerbis, vel iniuriosis verbis in illum inuehat. Hęc indignissima sunt viro graui, disputationis loco, & auditorum omnium consessu; Præterquam Respondentis animus ira simul, ac mærore ita conficitur, vt si ineptas prius responsiones attulit, ineptiores postea sit allaturus. *Multò minùs* in Arguentes, siue in illorum Doctrinam dicterijs, scōmatibus, maledictis, siue notis quibusdam, ac censuris animaduertat. Esset tunc *ingrati* prorsus animi, ac *iniqui*, *Caritate*, ac *Iustitia* penitus *destituti*, contrariam, quam in medium proferat arguens, sententiam, argumentationibusq; fulcire conatur, damnare tanquam *hæresi proximam*, *penitus difformem Iuri Diuino*, vel *Naturali*, *erroneam &c.* & maximè, dum ad eludendam tantum argumentorum vim hæc diceret. 19. *Nunquam ostendat*, se in paruo habere pretio argumentationem petitam e *S. Scriptura*, *Concilijs*, ac *S. Patribus*, dum oppugnantur Conclusiones verè Theologicę; imò intelligens efficaciores in Theologia argumentationes desumi e locis proprijs Theologiæ, qui Auctoritati innituntur, non permittat prorsus insolutum remanere argumētum, quod fundetur in verbo aliquo Diuino, siue *scripto*, siue *tradito*, vel in *Concilij* alicuius decisione pertinente ad Fidem &c. siue illud sit *Generale*, siue *Prouinciale* approbatum tamen vniuersaliter à tota Ecclesia &c. Cuius certè auctoritas præferenda est cuiq; S. Patris auctoritati; sicuti hæc cuiusq; Theologi auctoritati &c. Insipienter, ac ineptè faceret, si cogeret arguentem in Theologicis ad proferendas tantum rationes contra Conclusiones a Respondente propositas, & maximè eo quod aptam Nesciret reddere responsionem loco Scripturæ, Concilij &c. *Ingenui Respondentis*, imò & *Assistentis* erit fateri vltro ignorantiam responsionis ad aliquam argumentationem, quam insolutam relinqui vident sapientiores ex auditoribus, licet multa proferantur, vel ad rem non spectantia, vel difficultatem non eneruantia &c. Obsequentem

se

se præstet ipse etiã cum Respondente dicto *Iuliani Cardinalis* e nobi-
lissima inter Romanas *Cæsarina* Familia *seß.* 12. *Concil. Ferr.* habita;
Quoniam Veritatis inueniendæ gratia huc conuenimus , *Ego non erubescam,*
siue Tu, siue alius errantem me corrigat ; præferendus enim est honor Dei, qui
est ipsa Veritas , honori proprio. 20. *Si arguentes dicant* etiam per tran-
sennam, ac veluti incidenter, conclusionem aliquam e propositis esse
contra Fidem, vel *sapere hæresim* , aut errorem , siue etiam videri sequi
aliquid contra fidem &c. *Ne sine responsione* huiusmodi dicta omit-
tantur , nec hic prauus de suis opinionibus sensus apud Auditores , e
quibus multi quandoq; sunt parum periti, relinquendus. 21. *Si no-*
rit aptum esse Respondentem ad Responsionem adæquatam , vrgeat
Assistens potius difficultatem propositam ab arguente , quam illam
debilitare conetur : ita tamen se gerat, vt non videatur velle ipsemet
contra Respondentem arguentis munus suscipere, aut arguentis pa-
trocinium suscipere &c. *Vtile erit* aliqua breuiter suggerere Re-
spondenti , quæ ad mentem reuocata faciliorem , & magis adęqua-
tam responsionem etiam suggerere posse, arbitrabitur. 22. *Atten-*
dat sedulò ; cum soleant de controuersis inter Catholicos quæstioni-
bus theses proponi, tanquã probabiles , adeoq; tanquam probabili-
ter defendendæ ; haud tolli earum probabilitatem, licet quis ex argu-
entibus solueret omnes illis fauentes rationes : Opus foret , vt osten-
deret, nullam plane adesse rationem , quæ probabilem assensum
extorquere posset , solumq; adesse rationem leuiter , vel apparenter
probantem; quod difficillimè quiuis euincere poterit , dum Viri insi-
gnes iudicio, ingenioq; tali fauent, aut adhærent opinioni. *Recorde-*
tur, Syllogismũ duntaxat Demonstratiuum solui non posse. 23. *Vbi*
aliquandiu concertatum fuerit, ipse propositi argumenti vim vltimam
exponens, iubeat Respondentem , si ad idoneus sit , soluere quæstio-
nem, ac explicare interdum , sed breuissimè , ad illam spectantia , &
maximè illa, quæ negata, vel affirmata aliquam admirationem in
auditoribus peritis videntur excitasse . *Non permittat* autem difficul-
tatem vllam ita agitari, vt non minùs, quam antea, incomprehensa
maneat; sed Respondens, vel ipsemet eam dirimat , elucidetque .
24. *Haud illos* imitetur , qui ad quamdam memoriæ ostentationem
in disputationis fine propositas *Argumentationes* simul cum allatis *Re-*
sponsionibus iterum repetunt; qui etiam videntur existimare, illas ex au-
ditorum memoria dilapsas fuisse. *Si quid* noui tantum, *si quid* ad ma-
iorem veritatis elucidationem magis opportunum , *si quid* ad difficul-
tatum nodos clarius, ac expeditius soluendos idoneum re vera corda-
tus , Sapiensq; Assisistens censuerit à se proferendum , id paucissimis
declaret verbis in fine , vel cuiusq; Argumentationis , vel Disputa-
tionis. 25. *Nullius precibus*, vel *largitionibus*, vel *alia quacumq; de Causa*

sinat

ſinat ſe impelli ad aſſiſtendum cuiquam, quem cognouerit haud eſſe idoneum ad tuendas cum laude theſes. Agitur hìc de honore tum *Proprio*, tum *Reſpondentis*, tum *aliorum ſæpiſſimè*; & cum ſit in re grauiſſima, & quæ in fama etiam graue præiudicium afferre poteſt, nouerit ſe poſſe grauiter etiã peccare, ſi ipſe, maximè vltro, & ſi abſq; graui incommodo illud detrectare poſſet, tale munus ſuſciperet, aut votum ferret pro committenda tali prouincia inepto homini: *Si eſt* in ſua poteſtate eligere illos, qui Reſponſuri ſunt, ſeligat tantummodò illos, qui tum *Ingenio*, tum *Facultate ſe ipſos*, ſiue *ſuos ſenſus explicandi*, ac *Memoria in repetendo argumentationes* valent; neq; enim omnes, licet ingenioſiſſimi, in illis duabus præſtant facultatibus: & hi etiam ſint potius *Iuniores*, ac *Imberbes*; nam *Barbatus*, licet optimè reſpondeat, non multam reportabit laudem; ſi non optimè, vel non bene, dedecus, illudq; ingens & ſibi, & alijs comparabit. In electione autem à priuato caueat affectu &c. Non ſit acceptator perſonarum in hoc, ſicuti neque in maiori ope ferenda vni Reſpondenti, quam alteri &c.

Multa ex his vtilia eſſe poterunt illis etiã, *Qui Aſſiſtunt Arguentibus*. Illi ſtudeant peculiariter. 1. Vt hi ſint e peritioribus inter Scholaſticos &c. 2. Vt hi ſint habiles ad id munus, eo quod habeant energiam quamdam, modeſtam tamen, in arguendo; argumenti vim aſſequantur, eam exponere, ac vrgere norint; in arte Sillogiſtica ſint verſati &c. 3. Vt nunquam eorum argumentatio interrumpatur, dum apta fuerit, nec ipſemet Aſſiſtens vnquam arguentis prouinciam ſuſcipiat, dum benè arguens munere ſuo fungitur: dirigat verò breuiter illum ſolùm, cum opus fuerit. Parum conſulunt, & ſuo, & Arguentis, aliorumq; honori, qui tales ſtatuunt Arguentes, qui Diſputationis initio vel obmuteſcunt, vel tanquam pſittaci loquentes apparent, vel ad rem poſtea non loquuntur &c. 4. Vt addãt animos Arguenti, breuiter aliqua ſuggerãt &c. Iubeãt illum ſilere, dum extra rem vagatur, verbaque ſolum multiplicat.

Perilluſtri, atq; Excellentiſſimo I. V D.
Politioribus, ac Philoſophicis Artibus exculto
ROCCO FIDELI CORNEANEO
Veneto Ciui, Summæ Integritatis Viro;
Quarum Suſcipit Patrocinium,
Cauſarum Acerrimo, Diſertiſſimoq; Propugnatori;
Sincero, atque ſollicito ADVOCARIAE Fiſcali Aduocato;
Qui Optimum, Prouidumque Parentem
Semet exhibuit, exhibetque
In Recta Filiorum Suorum
Bernardini, Jo: Jacobi, Jo: Baptiſtæ, Chriſtophori,
Marci Antonij, Lauri, atq; Franciſci,
Tum ad Pietatem, Tum ad Literas Inſtitutione,
Sub Diſciplina
Ad. Reu. *D. Pauli Angelini* Pij, Prudentiſq; Sacerdotis,
Ac Excel. *D. Jacobi Cadenedi* Phil. ac Med. Doct.
Qui á Nobiliſſima VICENTINA Ciuitate ad Ciues Suos
Modò Humanioribus Scientijs informãdos delectus eſt;
Pecuniæ Domino, non Cuſtodi;
Et in Bene de Se Meritos Gratiſſimo:
Perilluſtrique D. D.
FRANCISCO BATTARO
Veneto, *Patriæ, Principiſq; Sui* Studioſiſſimo;
Æquè probis Moribus, ac Oeconomica Solertia prẽſtãti;
In Multis Splendido; In Multos Liberali:
Animaduerſiones Vigintiquinque
PRO DISPVTATIONI PRÆSENTIBVS
IVLIVS CLEMENS SCOTVS
Placentinus Comes &c.
Eorum Beneuolentiæ Memor
D. D. D.

Caput Decimum.

1 INuitati ad Disputationes libenter accedant, ac Viri Primarij maximè in Scientijs, vel Dignitate, vel Auctoritate; hinc enim literarum studia fouentur, cum nobilis Auditorum Corona alacritatem Disputantibus addat: Eaque de causa, etiam illi, qui minùs sunt versati in Disputationum materia, haud existiment, inaniter insumptum fuisse tempus Disputationibus datũ. *Recordētur nonnulli*, se aliquando teneri posse ad hæc Ciuium in Scientijs Commoda procuranda; ac se sæpius longius etiam tempus terere in ludicris, confabulationibus, alijsq; similibus nullius planè ponderis, & vtinam haud noxijs animæ, vel corporis etiam &c. Non ne videri potest æquissimũ, vt dum quis plures annos priuato aliquarum studio scientiarum dicauit, per horam, aut duas fructum ex illo reportatum palam proferens audiatur? 2. *Solummodò illi*, qui versati sunt in materia, de qua habenda est Disputatio, inuitentur: Solet enim imperitis esse molestissimũ ibi adesse, suntq; Disputantibus potiùs impedimento; nam hi confabulantur cum alijs, & quandoque etiam cũ periti, qui sibi sunt proximi, ac cæteroqui silerent, nec isti interdum collocutionem subterfugere queunt; manibus, pedibusque non rarò strepitum excitant; omni opera contendunt, vt Disputationibus breuior, quam par esset, finis imponatur &c. Primarij tamen aliqui Viri, licet minus docti, vel etiam indocti forent, vltro obsecrandi, vt adsint disputationibus; eorum enim præsentia non solùm illas cohonestat, verum etiam ad illarum quietem, & alacritatem mirificè conducit. 3. *Qui inuitantur*, tempore opportuno adsint, potiusq; pręueniant, quam postponant tempus præsignatũ, Viriq; Primarij nominatim. Si hora hi congrua non adsint, molestia nec leuis cæteris Auditoribus infertur, quorum non pauci quoque e Disputationis loco recedunt; in tempus quandoq; valde incongruum disputatio differtur; statutum illi tempus decurtatur &c. Si aliquod re vera hisce Primarijs Viris, sine quorum pręsentia haud initium Disputationi dabitur, impedimentum intercedat, quo minus disputationi adsint, opportuno tempore moneant, ne expectentur; vel iubeant initium dari Disputationib. si adfuturi quantocius &c. 5. *Si quidam* e Primarijs Viris, siue Dignitate, siue Scientia quoq; non soleant Disputationibus interesse, haud illi inuitandi, nisi probabilis spes sit, quod sint tunc adfuturi. Superuacanea sunt huiusmodi officia inuitantibus, molestaq; inuitatis. Si quandoq; etiam hi promittant adesse disputationibus, omnem illas subterfugiendi occasionem arripiunt &c. Si accedant, dum inuiti adsint, eorum præsentia Disputantibus prudentibus haud potest esse vndequaq; iucunda. 6. *Nullus ex Auditoribus* e sua priuata causa velit decurtari tempus Disputationi pręfixũ, consuetumque. Potius non accedat ad Disputationes, si accedens

videt, fore vt id eueniat, eò quod ipse e Disputationis loco recedere
cogatur, indeq; vel omittenda Disputatio, vel breuissimè perficiēda.
7. *In congruo* sibi loco quisq; sedeat. Vitandæ, à quibusdam maximè,
contentiones nonnullæ de loci Dignitate. Suam tamen Dignitatem,
vt Viri nonnulli illustres, siue ex Genere, siue ex Officio, siue ex Doc-
trina vt tueantur, æquum est. Cōmendabile est, vt exceptis quibus-
dam, quibus iam certus locus omnium suffragio debetur, ab illis, qui
inuitarunt, vel qui inuitatos excipiunt, certa sedes cæteris nō statua-
tur, sed liberum faciant quancumq; adeundi sedem: Præcauendum
tamen illis, ne sedes occupentur à Viris plebeis, indoctisq; simul, vel
ne primæ occupentur ab illis, quibus secundæ essent magis congruæ
&c. Fit enim quandoq; vt vel inuitati, vel qui disputationibus essent
honori &c. discedere cogantur, eò quod suę Dignitati pares non ha-
beant sedes, vel etiam nullas habeant: 8. *Si cœpta disputatione quis ac-
cedat*, velitq; illi ad exitum vsq; adesse, si fuerit maximè ex inuitatis,
& cuius præsentia exoptatur à Disputantibus, se det conspectui illo-
rum, quorum cura est excipere inuitatos; suæ verò tribuat moræ, si
non congrua sibi quandoque tribuatur sedes &c. *Expedit* tamen ha-
bere extra Ordinem sedes aliquas semper, quæ selectis quibusdam vi-
ris serò quandoq; accedentibus distribuantur. 9. *Vbi nonnulli Dispu-
tationibus* præsentes futuri adfuerint, in statuto considеant loco; fit
enim non rarò, vt multi qui accedunt, dum nullum in Disputationis
loco sedere conspiciunt, aliò diuertant, ac postea vel non reuertan-
tur, vel tardius accedant; ex quo oritur, vt Disputationis tempus pro-
trahatur vltra præstitutam horam, vel tempus illi præsignatum im-
minuatur &c. 10. *Nullus ante* peractam omninò Disputationem (nisi
necessitas verè vrgeat; quam interdum explicare etiā elata voce par
erit) e Disputationis loco recedat. Id Graue solet esse Disputanti-
bus nominatim, quasi illis haud satisfaciant; alios ad idem allicit; per-
turbari solet quandoq; Disputationis series, illiusq; alacritas sæpissi-
mè minui &c. Expediret, vt nonnulli qui discessuri forent, vel non
accederent, vel extra Auditorum Coronam se collocarent. Id præci-
puè cauendum ab Arguentibus; non solum quia ipsi pręcipuas par-
tes in Disputationibus obtinent; verum etiam quia, si qui primo ar-
guit loco abeat, antequam secundus, vel tertius argumenta sua abso-
luerit, significat, se hosce paruo in pretio habere, solumque in pretio
habere propria, quæ interdum potuerunt esse etiam leuissima, vel
parui ponderis &c. 11. *Inter se non colloquantur*, vel non nisi breuissi-
mè; attentos semet præbeant, licet minùs periti sint; a multis periti
habebuntur nonnulli, si taceant, attendantq; 12 *Haud inter se dispu-
tent*: eorum munus est Disputantes audire. Peracta disputatione,
si velint, disputent. Nonnulli scioli, vt Sapientiores appareant, con-
sultò

sultò etiam cũ proximis auditoribus disputationem ineunt de eadem materia, de qua cęptum est disputari; imò aliqui ad alias quoq; deflectunt materias. 13. ***Haud vultu ipso***, vel gestu, ne dum voce, significent sibi non arridere Argumentationes propositas, Responsiones allatas &c. Maximè si sint Viri, qui iudicium ferre possint. Ingratissimum id est nominatim tum Arguentibus, tum Respondentibus, qui inde grauiter perturbari queunt, ac minus accuratè postea prosequi argumenta, responsaque afferre. Peccant interdum facilius in hoc, qui cæteris sunt imperitiores ad aliquam maioris peritiæ famam sibi aucupandam. 14. ***Erga nullum***, siue Arguentem, siue Respondentem ea beneuolentiæ argumenta palam exhibeant, vt velint, vel Arguentem, vel Respondentem succumbere. Solent hęc Disputantium animos deijcere. ***Potiùs quidem videtur fauendum Respondenti***; nam ille est, qui oppugnatur, & in quem argumentorum tela contorquentur. 15. ***Nec Defendenti Responsionem***, nec Arguenti Argumentationē vllam suggerant; non est id Auditorum munus. Superbi quandoque animi specimen id foret, quasi Auditor aliquis velit esse cõmunis omnium Magister. Si tamen Vir Primarius in Doctrina, & cui palmam cæteri omnes deferant, aut meritò deferre debeant, nec id ingratum fore putet, Responsionem aliquam Defendenti, imò & Assistenti, cum eos non ad rem, vel minùs aptè norit respondere (iuxta eorum Principia tamen) submissiori pro viribus voce, si nõ longè ab illis remotus sit, suggerat; haud videtur coarguendus semper. 16. ***Si argumenta proponantur*** Catholicæ Fidei Dogmata verè oppugnantia, licet à Viris verè Catholicis, si Defendens, aut Assistens nullam, vel non adęquatam responsionem illis afferre videatur, & periculũ probabile sit, ne auditorum animis, & maximè si hi sint multi, ac minus periti, vel adsint viri magnę auctoritatis, aliquis prauus insideat sensus circa Catholica Effata: ***Quiuis Auditor***, si idoneam responsionem habuerit perspectam, eam in medium proferat, licet id minùs gratum esset futurum Respondenti, vel Assistenti; agitur enim de Fide ipsa, cuius patrocinium quilibet tenetur suscipere. Ante cęteros quidem tenebitur in hoc casu Theologus præsens. 17. ***Plausum faciant***, cum vident Respondentem, & Arguentem perfectè suas explere partes. Addit id concertantibus alacritatem, maximè si plausum faciant Peritiores. Sufficit id Vultu ipso solùm præferre: Aliquando nõ erit incongruum etiam elata aliquantulum Voce dicere, ***O quam benè, Optimè &c.*** 18 ***Nullus ex honestis Auditoribus velit*** esse Primus ex ijs, qui finem imponi velit Disputationi, vel etiam Argumentationi, & maximè dum cum fructu disputatio progreditur. ***Præcipuè caueat***, ne quędam ad hoc adhibeat vsitata a viris plebeis, idiotis, minusq; morigeratis hominibus. Potius si Vir sit alicuius Autoritatis, ab huiusmodi

factis, multoq; magis à verbis minùs decoris, quæ quandoq; iaciuntur in illos, qui longius quā par foret, argumentationes propositas prosequuntur, reuocet &c. Roget potius ipse, cū inaniter verè Arguens velit insistere argumentis, vt desistat &c. Consultum omninò foret, vt quando Disputationes adire cuiq; liceret, designarentur quidam homines, qui hosce molestissimos, indecorosq; motus in quibusdam personarum generibus impedirent. Culpa non rarò est adscribenda illis, quorum pręcipuę sunt partes in Disputationibus; nam nonnullis, qui proriæ sunt compotes minoris peritię in scientia, de qua instituitur Disputatio, solent hi incongrui auditorum motus esse grati; aliqui, dummodo sedes appositæ in loco disputationis nō sint Vacuæ, quodlibet hominum genus in ijs collocant; alij vltrò etiam tacitè prouocant auditores, cum vident se nimis vrgeri, vel non sibi occurrere vlteriorē argumentationem, vel responsionem &c. 19. *Cum exposita difficultas vrget* adhuc, tunc maximè significent Sapientes Auditores, sibi gratum esse, vt arguens non desistat, imò vrgeatur magis, et congruaq; præbeatur responsio. Innuere tamen poterunt aliquando, vt breuiùs illa contrahatur: si verò arguens plus æquo, & inaniter, & non nimis solùm adhibitis vocibus, vel non ad rem prosequatur argumentum, si sint alicuius Auctoritatis Viri, significare poterunt modesto aliquo signo, vlteriorem prosecutionem sibi ingratam esse, humaniterq; rogare etiam illum, vt desistat, locumque alijs concedat. 20. *Nunquam iudicium ferant*, multoq; minùs illud publicent Prudentes Auditores de Disputationis exitu, antequam illa fuerit perfecta. Nolint esse instar Prophetarum. Incerti sunt Disputationum, instar Bellorum, exitus. Quandoq; feliciorem exitum sortiuntur illæ, quæ infeliciorem habituræ, nec irrationabiliter omninò, videbantur, & e contra. De Disputantium Peritia, vel Imperitia ex vna, vel altera Disputatione non est quidem firma omninò efformanda opinio; nam præterquam aliqui viri, licet Sapientissimi, sunt minus apti Disputationibus, quæ quasdam animi, corporisq; vires exigunt; aliqua occurrere queunt initio, vel in progressu Disputationis, quæ mentem aliò quasi necessariò auocent; nec eadem semper adest mentis vigilantia. *Demosthenes, Cicero*, & *Homerus* ipse, aliquando dormitare visi sunt. 21 *Nunquam præferant* sibi minus arridere aliquam responsionem allatam, vel argumentationem propositam, si non integrè audierint; subsequentia enim, quę vel Arguens, vel Respondens, vel Præsistens addent, sæpe poterunt declarare, illas fuisse congruas. Præterquam cum ipsi Auditores alijs innitantur Principijs sæpe, minùs sapienter censere poterunt, illas non fuisse congruas, quæ re ipsa fuerunt congruæ Disputantium Principijs. Ab hoc maximè caueant, Qui minùs fuerint versati in Scholarum, vel Controuersię, de qua initur

initur Disputatio, Principijs. 22. *Respondenti* non annuant vel capite ipso, vt aliquam propositionem, vel *Concedat*, vel *Neget*, vel *Distinguat*; cum hoc sit *Assistentis* munus; nisi saltem sit vir omni exceptione in doctrina maior, & vt talis habeatur: *Præterea*, cum quis nō est valde versatus in Principijs talis quęstionis (varij autem sunt eamdem quoq; thesim propugnandi modi in eadem quoq; Schola) in errorem faciliè Defendentem inducere potest. 23. *Peracta disputatione* laudent laudandos, & in quibus laudandi sunt, pro vniuscuiusq; merito, non tamen adulatorijs, vel valdè amplificantibus vtatur verbis; dissimulent, si minùs aptè illa processerit. Haud prudens Auditor imitetur illos, qui siue aptè, siue inepte munus suum obierint Disputantes, illos laudant. Sapienter pro more *Quintil. lib. 2. c. 2.* ait *Illa verò vitiosissima, quæ iam Humanitas Vocatur, inuicem qualiacumq; laudandi, cum est indecora, & theatralis, & seuerè institutis Scholis aliena, tum studiorum perniciosissima hostis; superuacua enim videtur cura, ac labor, parata quicquid effunderint laude.* Quæ licet pro Oratore ab illo allata fuerint, accommodari queunt non tantum oratori Christiano (vnde satis prouidè habetur in fine nu. 4. Instruct. 2. pro Concionatoribus Societatis Iesu, vt post singulas Conciones à Scholasticis Soc. intra priuatos parietes habitis, Pręfectus Concionum *moneat, in quo defecerint; Commendent verò, condemnentq;* tum *Superior*, tum *Præfectus*, quæ *Commendatione*, aut *Condemnatione digna videbuntur*; *Alij verò, ad quos hoc non pertinet, minimè permittantur, nec facilè, & immodicè eos laudare, nec liberè carpere*; Et prudenter P. Claud. Acquau. *in lit. de Form. Concion.* 28. Maij 1613. nu. 14. ait, *Et sane* Iuuenibus animos addere, sed prudenter oportebit, ea laudando, quæ recta & in bona spe sunt posita, non tamen *dissimulatis erroribus*, vt scilicet meliores euadant, & dum per ætatem licet, ad perfectionem rectà *contendant*) verum etiam Disputantibus; neq; enim hi immodicè, & vltra meritum laudandi sunt a Viris, maximè in Scientijs illustribus, qui debent esse pręcæteris maximè ingenui, & quibus quidem gratissimum esse debet, vt Disputationes certè, & multæ habeantur, sed ab illis, qui verè sint ad illas apti, & ex quibus reportetur imolumentum aliquod literatorũ Reipublicæ. Multæ quidem iam solùm ex cõsuetudine quadam habentur, & non raro à minùs idoneis, ac ineptis; & ad nonnullas quidem multi accedunt, tanquam ad Comædias, vel theatralia quędam spectacula &c. Et à non paucis pleriq; recedunt capitis dolorem, mentisq; obtusionem, & indignationem interdum contra Disputantes, vel etiã nonnullos ex Auditoribus nimis molestos, minusq; modestos reportantes; Hasne commendauerit Prudens, ac Sapiens Auditor? Est verum quidem, nullam iniri Disputationem posse, ex qua ille aliquẽ fructum non haurire queat, ad errores saltem præca-

uendos

uendos similes. 24. *Si de sensu suo* Auditor Doctus circa Disputationes iam habitas petatur, memor sit tum *Sinceritatis*, tum *Caritatis*; & etiam *Iustitiæ*, si præsertim ex illis decernendum sit quid spectans ad Decus, vel Dedecus Disputantium: Nam sicuti potest suffragium ferre pro illo, quem aptum ceteroqui scit v. g. ad Doctoratum, licet in Disputatione non probè se gesserit (neque enim huiusmodi iudicia instar Ciuilium, vel Criminalium habentur, ideoq; vt plurimum Iudices sunt ipsimet Professores, ac Magistri) ita potest reprobare aliquando illum, qui aptè se gesserit, dum aliunde re vera ineptum ad Doctoris munus nouerit, nam fortuitò id accidere potuit; poteritque etiam teneri ad id, si exploratum sibi omnino sit, conuenisse cum arguentibus, incubuisse tantummodo in studium certarum, & paucissimarum quarumdam quæstionum, quas solummodò agitandas non æquis artibus ex vrna extrahi etiam curauerit, plurimorum fauores, ac patrocinia quæsijsse &c. *Imò in his* temporum circumstantijs, hoc est, in tanta Doctorum multitudine, ex qua literatorum Respublica ingens dedecus reportat in Italia nominatim, in dubio standum esse videtur pro negando potius, quam concedendo suffragio; publicum enim, maiorisq; ponderis bonum priuato, minorisq; ponderis pręualere debet. Et hoc quidem maximè in Doctoris Theologiæ, ac Medicinę gradu decernendo seruandum videtur. Multi quidem culpam in hoc illis, qui Iuuenes curant ad Doctoratum euehendos, siue promouendos adscribunt. Viderint isti. Consulant *Tum* Conscientiæ suę; *Tum* Honori Priuato; *Tum* Decori Publico Academiarum: Quæ emolumento cuiq; enimuero pręferenda. 25. *E Disputationi loco recedentes*, vel Domum reuersi, si sint periti, reflectant supra argumentationes, responsionesque auditas; *Videant* An rectę; An Aptiores proferri potuissent; An quid non ad rem, & non congruè dictum; *Interrogent* quandoque seorsim vel Respondentem, vel Assistentem, si quid minùs intelligant &c. *Ex illis denique doctiores euadant.*



CLARISSIMO VIRO

IOANNI RHODIO

OB LATINAE LINGVAE,
Oratoriæ, ac Poeticæ Artis Peritiam
Satis Conspicuo;
In Medicis quoque multa Laude digno;
Cuius Præclaram, Variamque Eruditionem
Satis ostendunt
Libri plures Publicæ Luci iam Expositi;
Candidæ Mentis Homini;
In Omnes Officiosissimo;
Omnibus Gratissimo:

NOBILIQVE VIRO

ISAACO BASIRIO

DOMINO DE PREAVMONT
Multiplici Scientiarum Genere Exculto;
Non minùs Humanioribus Disciplinis,
Quam Humanissimis Moribus
Perpolito;
MAGNI PLATONIS
Maximo Cultori:
Animaduersiones Vigintiquinque
PRO PLATONICÆ PHILOSOPHIÆ STVDIOSO
IVLIVS CLEMENS SCOTVS
Placentinus Comes &c.
Vtriusq; Amantissimus
D. D. D.

Caput Vndecimum.

N

1 I

cipijs,b
illius ſe
ratione
Platon
uendı ſ
ab eius
tur, qu
ſunt ab
uolis ip
Religio
reſponſ
excogit
ſtræ fid
tonem p
ripateti
nulli ve
quia alij
dia abſo
iorem ſ
Auctor
dicta da
veræ Ph
patroci
tis dece
Vt auter
bet eſſe
aſsentia
quoq; P
torem ſ
expreſſa
plicet; li
quam P
lius diſci
tonis ſer
Primari
in octo Li
aliorum
multi in

1 INter Cælites præter *S. Dionisium, Iuſtinum, Baſilium, Nazianzenum, Cirillum,* peculiari proſequatur honore *S. Auguſtinum,* qui Platonicæ Philoſopihæ fuit addictiſſimus, ſicuti *S. Thomas* Ariſtotelicæ. 2. *Licet in ijs,* quæ repugnare fidei Principijs, boniſq; moribus deprehenderit verè in Platone, haud vnquam illius ſententia propugnanda, multoque minùs nouæ excogitandæ rationes ad illa corroboranda; imò potius argumenta, ſi quæ ex Platonis doctrina deſumantur contra Fidei noſtrę Dogmata, ſoluenda ſint: *Videat* tamen, an hæc verè docuerit Plato; plura enim ab eius aduerſarijs, ac nominatim nōnullis Peripateticis illi obijciuntur, quę haud illius doctrinæ, ac Principijs conſentiunt, & vel ficta ſunt ab hoſtibus, ſiue ab illius aduerſarijs accepta, vel etiam à beneuolis ipſimet Platoni affirmata, ſiue ex eo quod infenſi Chriſtianæ Religioni inuidiam iſti conflare cuperent, ſiue eò quod ignorantes reſponſionem afferre argumentis, quæ Ariſtoteles, ac Peripatetici excogitarunt ad aliquam opinionem confirmandam contrariam noſtræ fidei (qualis eſt inter cæteras *Æternitas* mundi) ſtare etiam Platonem pro illa tradiderunt. 3. *Non fidem temerè* habeat illis, quæ Peripatetici plures circa Platonis ſententias protulerunt; *tum quia* nonnulli vel eum nec legerunt, vel ſi legerunt, curſim id fecerunt; *tum quia* alij aliorum ſenſum ſecuti ſunt; *tum quia* aliqui ex odio, ac inuidia abſonas illi opiniones tribuerunt contra illius mentem, ac in peiorem ſenſum fuerunt interpretati. Hinc vtiliſſimum eſſet, ſeligere Auctores, qui contra Platonem libros ſcripſerunt, aut in libris eius dicta damnarunt, vel tanquam fidei Principijs repugnantia, vel etiam veræ Philoſophiæ aduerſantia, ſimulque euolutis illis, qui Platonis patrocinium ſuſcepere, ſeduloq; cum Platonis textu omnibus collatis decernere, *Quid circa Platonis ſenſum in multis re vera ſentiendum ſit.* Vt autem id ſinceriùs præſtet quis, à nimio affectu in Platonem debet eſſe liber. Peculiariter autem vitandum putant multi; ne quis aſſentiatur Ariſtoteli circa Platonis ſententias; à nonnullis enim quoq; Peripateticis notatur ille, tanquam ingratiſſimus in Præceptorem ſuum, & tanquam minùs ſincerę fidei; qui præter, & contra expreſſam ſui Præceptoris ſententiam illius dicta & proferat, & explicet; licet alij Ariſtotelem in hoc excuſare conentur, quod ipſe tanquam Platonis ſententias plures repoſuerit in ſuis libris, prout ab illius diſcipulis quibuſdam tales vulgatæ fuerant, atq; verba, non Platonis ſenſum reprobet. A Doctiſſimo quidem *Cottunio* Philoſophiæ Primario in Patauina Academia Profeſſore nu. 28. poſt. par. Pręfat. *in octo Libros Phyſicorum* laudatur Ariſtoteles, quod cum e Platonis, aliorumq; Philoſophorum ambiguis, implicatiſque verbi, poſſent multi in errores induci, ipſe eos redarguerit, erroremq; amouere

contenderit. *Addunt tamen* alij ; ex gratitudine ſaltem in Pręcepto-
rem debuiſse ſignificare, illum plura , quę oppugant , à Platone dicta
fuiſse allegoricè, analogicè &c. Quod cum ipſe non præſtiterit, haud
mirandum , quod abſonum , ac peiorem ſæpe ſenſum ambiguis Ari-
ſtotelicis vocibus tribuant alij, præſertim Platonici nonnulli, illiuſq;
verba, non verum oppugnent ſenſum . *Si tamen id vniuerſim ſignifica-
uerit* , venia dignus eſt Ariſtoteles ; licet plerumq; id non pręſtaret,
Platonis, aliorumq; placita proponens. Hinc omnes ſententiæ, quæ
tanquam Platonicæ, ab Ariſtotele aſseruntur, ſeorſim reponendę fo-
rent ſimul cum Ariſtotelicis Obiectionibus : *Videndumque exactè, An
illæ omnes* , & quęnam cum Platone conſentiant ; *An obiectiones*, quæ
germanas Platonis ſententias oppugnarent, benè, vel euidenter con-
cludant . Idẽ pręſtandum circa illos , qui ex conſilio , vel incidenter
contra Platonis dicta ſcripſerunt . 4. *Intelligat Platonem* , tum ante
Chriſtum natum fuiſse habitum , tanquam *Philoſophorum Deum* , ſiue
Homerum, illiuſque doctrinam cæteris prelatam ; tùm etiam poſt
Chriſtum natum ab antiquiſſimis Patribus , alijſque fidei Catholicæ
aſsertoribus per mille , & amplius annos primas inter Philoſophos
cæteros partes illi fuiſse tributas, illiuſq; doctrinam valde affinem
noſtrę fidei Principijs iudicatam fuiſse ; imò & nonnullam cognitio-
nem magis ſublimium noſtrę Religionis Dogmatum illi tributam, ac
nominatim *Miſterij Sanctiſſimæ Trinitatis* , quam tamen hauſiſse ex
Diuinis literis , vel ex Hębreis multi cenſent . Hinc qui in minori
pretio illum habent, Sanctiſſimorũ Virorũ ſenſui , qui fuit etiam Ec-
cleſiæ ſpatio decem , & amplius ſęculorum communis , apertè repu-
gnat . 5. *Comparationem vitet* inter Platonem, & Ariſtotelem ; nam
vt bene *Viues* in c. 12. lib. 8. de *Ciuit.* Dei, *Odioſum eſt de Platonis, &
Ariſtotelis comparatione diſſerere , quoniam ſtudys variorum res in magnam
inuidiam adducta* . Haud dubiè fuit pręſtantiſſimus vterq; eorum, &
dignus, quem tota poſteritas admiretur . Nimia Platonis laus Ari-
ſtotelis Vituperationi admixta fuit cauſa, vt Peripatetici aliqui Vitia
quædam in Platonis Doctrina curioſè inueſtigauerint , eaque publi-
carint &c. Nimia Ariſtotelis laus cauſa fuit, vt plures quam re vera
forſan fuerint errores , tributi fuerint illius doctrinæ ; & crimina
etiam quædam in illius moribus obſeruata , ac publicata . Habet
quidem vterque ſuos Patronos, eoſq; magnę Auctoritatis Viros : &
Antiquioribus quidem ſęculis tum ante , tum poſt Chriſtum natum
Principatus videtur delatus Platonis in Philoſophicis ; in poſteriori-
bus communiter Ariſtoteli. *Ariſtotelis* doctrina pręſtat in ordine, ſiue
methodo tradendę ſcientię, & in plurium comprehenſione, quę ad res
Naturales ſpectant. Plato excellere videtur in quodam faciliori, &
accommodatiori Iuuenum captui, qui Diſciplinis informari volunt
metho-

methodo; & in ijs, quę ad *Deum, Intelligentias, Animam Rationalem*, aliaque Diuina, & humanis non peruia sensibus spectant. Circa *Rhetoricam*, ac *Dialecticam* quo ad præcepta in actu exercito antecellit Plato, in actu signato Aristoteles. Circa *Moralia* in ijs, quæ attinent ad Definitiones, Diuisiones &c. Virtutum, vitiorum &c. Primus debetur Aristoteli locus; Primus verò Platoni in ijs, quæ ad salubre Ciuitatum, siue Populorum, ac Publicum Regimen pertinent: & abijt quidem in Prouerbium *Respublica Platonis*. Elegantissimè, ac scitissimè vterque dicitur locutus; nec desunt in Aristotelis oratione suauitas, copia, & ornamenta dicendi, teste ipso quoque Tullio in *lib. de Orat. initio Topic. ad Trebat.* & 1. *de Fini.* si Gręcus illius euoluatur Textus, vt *Perer. lib.* 5. *Phys. capite* 1. habet. *Atticum* quidem sermonem videtur sectatus Plato (quem maximè æmulatus est Philo Platonicę etiam sectator Philosophię) *Laconicum* Aristoteles. Hinc Platonicæ studiosus Philosophiæ suas laudes, ac meritas tribuat Aristoteli, qui & *Mens*, & *Philosophus veritatis* dictus fuit à Platone ipso; quem tamen tanto fuisse habitum in pretio ab Aristotele meminerit Peripateticæ etiam studiosus Philosophiæ, vt viginti annorum spatio ab illo in Academia audiendo nō destiterit. Erit quidem opportunum valde laudes, quę Platoni ab ipsismet Peripateticis (quorum nonnulli magis videntur Platonica probasse dogmata, vt *Ammonius, Simplicius, Philoponus, Eustrathius &c.*) tributæ sunt, vnà colligere; & quę ab Academicis Aristoteli. 6. *Quamuis plures* Aristoteli fuerint tributi errores, quam Platoni, tum à Patribus, tum ab alijs Catholicis viris; nouerit tamen, ab erroribus non immunem iudicatum fuisse Platonem, & à Patribus, nominatimq; *Tertulliano*, ac *Chrysostomo*, & ab alijs, in Moralibus etiam, quorum aliquos nonnulli etiam in Platonem beneuoli excusare non audent. *Perpendat quidem*, An Naturali lumine vt sic supernaturali non adiuto, tanquam probabiles, nec leui innixæ rationi potuerint à Platone quędam proponi opiniones, quę modò à Catholicis fidei Principijs innixis tanquam erroneæ damnantur. 7. *Animaduertat*, An conciliari re vera Aristoteles, & Plato possint. Multi quidem de hoc argumento libros promiserunt; at non ediderunt; Nonnulli quoque ex his dicuntur perijsse. Legi possunt ad id inter cæteros *Sebastianus Foxius, Gabriel Buratelius, Iacobus Mazonius, Felix Accorombonus, Iacobusq; Carpentarius.* Quibus aliqui addunt nominatim *Franciscum Vicomercatum, Franciscum Diacesium, Simphorianum Camperium, Augustinum Steuchum &c.* Vtilis quoq; poterit ad id iudicari lectio *Cardinalium Trium* Bessarionis, Cusani, & Aliacensis; *Francisci Patritij, Georgij Trapezuntij, Io: Baptistæ Bernardi, Georgij Gemisthi*, qui *Plethon* dictus, *Bernardini Donati &c.* Si Aristoteles voluisset consulto a Platonis sententia in multis discrepare, quod in multis sal

tem

tem probabiliter præſtare potuit, haud foret æquum illi conſentien-
tem effingere. 8. *Quæ à Platone Ariſtoteles* acceperit, tum in Phyſi-
cis, tum in Moralibus, obſeruet peculiariter. Verum ſimul quoque
obſeruet, In ijs *Quæ ad Diuina* pertinent, quæ Plato ab *Orpheo, Heſio-
do, Heraclito, Zoroaſtro*, ac *Magis*, præſertimq; à *Mercurio Triſmegiſto*,
ac *Pythagoricis*, nom natimq; *Locro*, nec non ab *Hæbreis* acceperit:
An verò multa e librorum ipſorum *Moyſis* lectione, an verò ab his,
qui eos legerant, aut excepiſſent ab illis, qui eos legerant, cum ſtatui
non poſſe videatur, in alijs operam ponat; ſatis ſibi eſse iudicans ſci-
re, non pauca Platonis Decreta eſse ſacris conformia literis: Ea
ergo colligat, & cõferat, attendens maximè in quibus diſcrepent. Ob-
ſeruet præterea, *In ijs, quæ ad Naturalia* pertinet, quæ acceperit etiã
à *Parmenide, Archelao, Democrito, Talete, Hippocrate &c.* ac in *Mora-
ribus*, quæ a *Socrate* (hunc audijſſe viginti annos fertur) *Solone*, alijſq;
nominatim *Septem Græciæ Sapientibus*, qui omnes, excepto *Talete*, Mo-
rali Philoſophię fuere addicti, ac potiſſime e *Sacris* literis ſiue imme-
diatè, ſiue mediatè acceperit. Et multis quidem dignus eſset laudi-
bus, qui Veritates naturales omnes, ſiue Phyſicas, ſiue Morales, in
quas Sapientiores omnes à mundi initio ad noſtra vſque tempora
conſenſerunt vnanimiter, ſimul ſeponeret; nam hæ non poterunt non
exiſtimari certę. 9. *Sicuti perſuadere* ſibi debet Peripateticus, ſe in
Piloſophia etiam Peripatetica perfectum eſse nõ poſse, niſi excultus
ſit etiam Platonica (quod præſtantiſſimi quoque Peripatetici, nomi-
natimq; Albertus Magnus, ac Piccolomineus, diſertè pronunciant)
ita eumdẽ de Peripatetica ſenſum habeat Platonicus. 10. *Animaduer-
tat Platonem* exhibere ſe *Grammaticum* in Cratylo: *Rhetorem* in Phœ-
dro: *Oratorem*, & *Rhetorem* in Gorgia, in Exordijs Phœdri, Timæi,
Parmenidis, Critiæ; *Logicum* in Parmenide, vbi reperiendarum pro-
poſitionum artificium declarat; Vti autem *Sillogiſmo Demonſtratiuo*
in Tymeo, Parmenide, Phœdone, Philebo, Sophiſta, in 10. Legum,
in 2. Reipublicę; *Sillogiſmo* verò *Captioſo* in Euthydemo: *Methaphyſi-
cum*, ſiue de Rebus abſtractis, ac Diuinis agentem in Sophiſta, Po-
litico, Phœdone, Philębo, Tymeo, Simpoſio, Phœdro, in libris de
Republica, & Legibus, in Epiſtolis, ſed maximè in Parmenide: *Phi-
loſophum Moralem* in Philebo, in libris de Reipublica, & Legibus, Eu-
tiphonte, Apologia, Critone, Theęteto, Menone, Hippia, Vtroque
Alcibiade, Simpoſio, Phœdro, Menexeno, Prothagora, Lyſi. *Phyſi-
cum* in Tymæo; quem Dialogum ne dum multi fecerunt ſanctiſſimi
Religionis noſtrę Proceres Chriſtianę Sapientię ſemina in eo conſpi-
cientes, verum etiam pręter biſdenos ſupra tricenos à Proclo recenſi-
tos, elucidarunt, & Commentarijs illuſtrarunt Crantor, Ariſtocles,
Ptolomęus, Bercyllides, Atticus, Plutarcus, Galenus, Ficinus, alijq;
plures

plures Antiqui, ac Recentiores enumerati à *Paulo Benio Eugubino* Sacræ Theologiæ Doctore in Patauina Academia quondã illuſtri Rhetoricæ Profeſſore in libro Romæ edito 1594. cui Titulus *In Platonis Tymæum*, ſiue in *Naturalem omnem, atq; Diuinam Platonis, & Ariſtotelis Philoſopiam Decades Tres*; In 5. autem lib. dec. 1. comparat prius Ariſtotelem, & Platonem in Naturalis Philoſophiæ inſtituto, ac materia; tum verò in Phyſica Oeconomia, & artificio, ſimulque oſtendit, vter ad Chriſtianam Philoſophiam congruentiùs iecerit fundamenta. In hoc volumine *Benij* Pietas, Eruditio, Ingeniumque non equidem vulgare, ac mediocre elucent: *Mathematicum* adeo inſignem ſe ſæpe Plato oſtendit, vt *Theon* ſummus Mathematicus, cum opus de quatuor Mathematicis Diſciplinis edidiſſet, *Compendium* in *Platonis libris* inſcripſerit, quaſi ea dumtaxat in his libis continerentur, quæ Plato in ſuis libris attigiſſet. Rei Literariæ commodis ille faueret multum, qui Mathematica Platonis explicaret loca, vt aliqui circa Ariſtotelica noſtris prę̨ſtiterunr temporibus: At multo magis, qui Logica, Phyſica, ac Metaphyſica è Platone collecta iuxta ordinem Ariſtotelicum diſponeret; vna enim e præcipuis ſaltem cauſis, propter quas ſola in Scholis, & Academijs regnat Ariſtotelis Philoſophia, eſt Ordo, quem in ſua habet Philoſophia. 11. *Exploratum habeat*, Quinam ſint Platonis Dialogi; nam aliqui ſunt ſpurij: Ex illis autem perpendat, *Alios* eſſe ex Quintil. lib. 2. c. 15. Inſt. ad coarguendos, qui contra diſputant; *Alios* ad pręcipiendum compoſitos: Siue *Alios* eſſe Drammaticos, *Alios* Exegeticos, *Alios* Mixtos. In legendis autem illis (niſi melior occurrat) hic ſeruari poterit Ordo. Legatur 1. Theages; Amatores; ac Thęetetus 2. Sophiſta; Eutydemus; Prothagoras; ac Hippias Minor. 3. Tymæus, ſiue de Natura, & Vniuerſitate; Critias; Parmenides; Conuiuium; Phœdrus, ſiue de Pulchro; Hippias maior. 4. Euyphon; Apologia Socratis; Creto; Phœdo. 5. Philebus; Meno; Alcibiades primus. 6. Alcibiades ſecundus; Charmides; Lyſis; Hipparchus. 7. Menexenus, Politicus; Minos. 8. Libri de Republica; libri de Legibus; Epenomis. 9. Cratylus: Gorgias: Io. 10. Epiſtolæ. Non accedat autem ad eorum lectionem Mathematicarum, ac pręſertim Geometrię Ignarus. 12. *Modum tradendi Philoſophiam* per Dialogos à Platone vſurpatum ne vituperari permittat: *tum quia* ille miſcet vtile dulci: *tum quia* erat facilior iuuenibus, qui ante per Dialogos ſaltem inter Auditorem, & Magiſtrum pręexercebantur, & hic modus vſurpandus erat in diſputationibus cum alijs Philoſophis, ac Sophiſtis; *tum quia* cum ex conceſſis ad Concluſiones procedatur in Dialogis, exactiſſimæ Concluſiones ſunt; *tum quia* Dialogi ſunt ſimillimi ratiocinationi mentis noſtrę; *tum quia* voluit imitari Mercuriũ Triſmegiſtum, cuius

opera

opera in Ægypto vidit; *tum quia* modus ille fuit opportuniſſimus ad Sophiſtarum ſuperbiam frangendam, detegendamque ignorantiam, & Iuuenum mentes inanibus Sophiſtarũ diſciplinis deprauatas corrigendas &c. 13. *Perpendat haud verum* eſse; quod Plato in libris ſuis nihil affirmet, ſed ſolum in vtramque diſputet partem; Præterquam enim id falſum omnino deprehenditur nominatim in *Tymæo*, *Critone*, *Phœdone*, *Apologia*, in *libris de Republica*, ac *Legibus*, in cęteris etiam contentioſis alteram ſępiſſimè partem infirmat, alteram probat, ac ſequitur; nec poteſt non Socrates multa concludere, & affirmare ex rebus ab aduerſarijs conceſſis &c. vt bene contra Tullium, alioſque euincit *Benius* lib. 1. ad obiect. 9. 14. *Notas habeat Academicorum ſectas*; quarum Prima dicta fuit *Vetus*, in qua fuit Plato, poſtea *Speuſippus*, *Xenocrates*, poſt eos, *Polemo & Crates*, *Crantorque*. Secunda *Noua*, in qua fuit *Arceſilas*, *Lacides*, *Egeſinus*: Cuius auditor *Carneades Tertiam*, ſiue *Mediam* inſtituit, quam propagauit poſtea *Clitomacus &c.* & poſt *Speuſippum* quidem ex nouis Academicis trecentas ferme opiniones, ſiue ſectas emerſiſse ex Varrone plures referunt. *Qua ratione illæ Tres* pręcipuę inter ſe diſcreparint, perſpectum habeat. 15. *Quinam in quacumque ætate fuerint* Sectatores, ac Interpretes Platonis, animaduertat, eoſque ex Ordine legat, ſimul cum Peripateticis, & alijs, qui Platonica conuellere Dogmata conati ſunt: Nunquam tamen dicacitatem nonnullorum Peripateticorum, vel Platonicorum imitetur, imò cęteris paribus hos ſemper in minori doctrinæ prætio habeat. Catalogum ex ordine Alphabeti interpretum texit ſatis luculentum *Ant. Poßeu.* e docta Societate Ieſu in *Appar. ad Phil. tractat. 2. c. 11.* 16. *Illos, tanquam minùs genuinos*, Platonis Sectatores, ac Interpretes admittat, qui tot allegorijs, ſymbolis, ſiue potius portentis, ac fabulis Platonis doctrinam cumularunt, vt nouum quaſi Proteum Platonem effingere viſi ſint, eaque cum audacia fidei noſtrę myſteria Platonicis decretis miſcent, vt Platonem magis reconditam miſticam Theologiam, quam S. Dionyſium Areopagitam, ſcripſiſse ex illorum pronunciatis colligatur. *Vtinam* hęc culpa fuiſſet ſolummodò antiquiorum, & nõ recentiorum etiam, vt *Ficini*, *Diaceſij &c.* Si aliquas abſtruſas notiones videtur ſectatus in *Phœdro*; at non in omnibus. Inuenta ſunt illa Interpretum, qui ingenij alicuius compotes, at iudicij expertes ſunt; & malè merentur de Platone, eo etiam nomine, quod multi inde ab illius lectione retrahantur, haud ea percipientes myſteria, vel e Platonis libris ea non colligentes. 17. *Ne Sinat* vituperari Platonem, ex eo quod aliquando *allegorias fabulas &c.* reponat; hę enim cum nouitate admirationem, cum feſtiuitate voluptatem afferant, Iuuenum maximè animis miram afferunt alacritatem ad intima Philoſopiæ arcana penetran-

netranda, quæ ſub illis latent. Et mos quidem fuit antiquorum Græcorum ſapientũ ſub illis Philoſophiam occultare, ſicuti Ægyptiorum ſub Hieroglyficis. Illæ quidem explicandæ, ſicuti non ſemel fecit Ariſtoteles. 18. *Sit Græcæ linguę* Peritiſſimus; ſecus eas dotes, quas in illius oratione ſuſpexerunt ſemper omnes, & ad miraculum vſq; prædicarunt, aſſequi non poterit. Ex eius quidem Schola exciterunt *Demoſtenes*, *Iſæus*, *Æſchines*, *Hiperides* excellentiſſimi Oratores; ac Prothagoram latinę donaſse linguę Cicero ipſe fertur: Si ſit etiam valde huius linguæ peritus, poterit multas corrigere interpretationes aptiores aliquas reddere, ſenſuſq; aliquos magis habere perſpectos. Si Imperitus ſit, aut non ſatis peritus, celebriorem aliquem interpretem adhibeat; ſi quid dubij emergat, cum peritiſſimis, maximè natione Græcis, conferat. 19. *Non habeat fidem Verſionibus* Platonis, quæ paſſim circumferuntur, etiam editis à Viris doctis; non paucę deprauatę ſunt ea etiam de cauſa, quod exemplaria Græca perfecta non habuerint. Aliqua ex his ſunt adeo inepta, ac mendoſa, vt ſine ſtomaco legi nequeant. Minor quidem ſuſpicio de fidelitate librorũ Platonis, quam Ariſtotelis rationabilis eſſe poteſt; nam non ſolum e Strabone, & Plutarco habetur, eos à rudibus hominibus *Apellicone Teio*, & *Tyrannione Grammatico* reſtitutos pluribus in locis &c. Verùm etiam & Simplicius, ac Philoponus ſæpè teſtantur ab *Aſpaſio* homine in Philoſophia non vſque adeo inſtructo multa Ariſtotelis loca immutata, reſtituta &c. 20 *Cum Perilluſtris*, ac *Excellent. Fortunius Lycetus* ortus in Genuenſi Vrbe ob viros, quos Armis, Sciẽtijs, Dignitatibus maximè Eccleſiaſticis inſignes ſemper protulit laudatiſſima, Primus Theor. Med. in Gymnaſio Patauino Profeſſor eruditè ſatis pio more libellum conſcripſerit de *Pietate Ariſtotelis*; Videat, an e publico literarię Reſpublicæ bono foret ſimilem de *Platonis Pietate* conſcribere. Minoribus certè fuiſſe videtur notatus vitijs Plato, quam Ariſtoteles, ac illuſtriora ex illius dictis pietatis ſemina videntur poſſe colligi, quam Ariſtotelis. Certè *Sotus*, & *Catharinus* illum non eſſe damnatum non imprudenter exiſtimari poſſe, iam ſcripſerunt. 21. *Cum Alcinous* Iſagogen in Platonem conſcripſerit, quam e Gręco verſam *Dionyſius Lambinus* prę alijs accuratius, Scholijs illuſtrauit, & tamen *Poſſeu.* aſſerat, id quod nos quærere, ac prænoſſe de eodem Platone debemus, non omninò ſuppeditare, *ſecum diſcutiat*, an illi addenda ſint nonnulla, quæ etiam faciliorem Platonis intelligentiam nobis ſubminiſtrent. 22 *Platonis vitam legens*, peregrinationeſq; nominatim ſuſceptas in *Megariam*, *Cyrenem*, *Ægyptum*, *Italiam*, *Perſiam*, vt humanæ compos fieret ſapientię, *noſcens* indignetur ſecum ipſo, ſi graues in patria, vel in vicina patrię Vrbe degenti nimis ſibi videantur labores in decurrendo Scientiarum, Virtutumq;

ſtadio. Ad hanc rem aptè nonnulla *Quintil.* in fine *lib.2.* & 12. *Inſtit.* 23. *Peculiariter attendat* loca illa in Platone, e quibus *Philo, Origenes, Euſebius, Arrianiq;* & alij dicuntur ſuas hęreſes, ſuoſq; errores hauſiſſe; obſeruetq; *An* ex praua eorum intelligentia, *An* ex nimia erga Platonem beneuolentia id ortum habuerit. Quare vel bene ipſe loca illa interpretur ad mentem Platonis, aut illi nunquam ſit adeò addictus, vt in diſſonos Veritatibus Catholicis ſenſus abeat. Studioſum ſe Platonis exhibebit, ſi cum probabilem re vera expoſitionem habent illius dicta, oſtendet illum Veritatibus Catholicis non diſſentire: minùs verò ſtudioſum Catholicę Fidei ſe exhibebit, ſi Platoni perfectam, quam nos Chriſtiani, Trinitatis notitiam cõceſſerit. Nunquam pœniteat illum inſtar S. *Auguſtini* nimis Platoni adhęſiſse. 24. *Ita Platonis ſit* addictus ſectę, vt nulli infenſus ſit, niſi Sophiſtarum inſtar Platonis; imò ex vnaquaq; optima, ſi tamen Platonicis conformia Principijs (quę exactiſſimè teneat) dum Platonica deſunt, illi adiungat. 25. *Legat*, quę *tract.* 2. in *App. ad Phil. per* 13. *cap. de Platonica Philoſophia* tradit *Poſſeu.* licet non omnia approbanda, & maximè dum *cap. poſtremo* vult, ab optimis quibuſque, ac verè doctis magnifieri *Io Baptiſtæ Criſpi* de *Platone* Iudiciũ; aliquos enim errores ſaltem immeritò hic tribuit Platoni. *Multa* certè dicta Opuſc. 2. de *Philoſophia*, ac *Textu Ariſtotelis* c. 8. ac 10. opportuna valde hìc eſse poterunt.



Ad. Reu. e Religiosissima Capuccinorũ Familia P.F.
IOANNI FRANCISCO SCOTO PLACENTINO
Qui muneribus in suo Cœtu honorificentissimis perfunctus
Nouitiorum Magistri partes iam diu summa cum laude sustinet;
Suæq; præclaro Vitæ Instituto Virtutes referre nititur,
Tum S. FVLCI Scoti Episcopi Placentiæ, postea Papiæ,
Ex Antiquiss. atque Sanctiss. *Canon. Regul. Lateran.* Ordine,
Cuius dies Festus in *Martir. Rom.* 26. Octob. reponitur;
Tum BERNARDINI Scoti S.R.E. Cardinalis
Archiepiscopi Tranensis, demum Episcopi Placentiæ,
Cuius Summæ Probitati, Prudentiæ, ac Sapientiæ
Post Primos Quatuor Parentes Primogeniti *Clerici Regulares*
Felicissima Suæ Religionis Primordia adscribunt;
Tum Præstantium e suo Ordine Virorum,
Quibus (dempta Pietate, ac Verecundia) persimiles
A *Iusto Lipsio* dicuntur fuisse *Stoicorum Antesignani*:
Et Perillustri, Excellentissimoq; Domino
M. AVRELIO GALVANO FERRARIENSI
In Par. Gymn. in Primi Paritate Loci Iur. Ciu. Profess.
Quem instar Sapientiss. Parentis *Alexandri* 39. annis C.I. Lect.
(Hic quidẽ 18. agens annũ I.C. adhuc Auditor in Patria Acad.
Ense Armatus *l. Gallus ff. de lib & posth.* explicauit,
In eamq; Librũ scripsit *Gallus Rediuiuus* inscriptũ, ter editum)
E Moralis Philosophiæ, ac *Stoicæ* præsertim, Pronunciatis
Cæsarearum Legum Cognitionem hausisse,
Vel satis comprobat de *Vsufructu* Liber nuper euulgatus:
Animaduersiones Vigintiquinque
PRO STOICÆ PHILOSOPHIÆ STVDIOSO
IVLIVS CLEMENS SCOTVS
Placentinus Comes &c.
Alterius Consanguinei Pietatem,
Alterius Amici Doctrinam Suspiciens
D. D. D.

Caput Duodecimum.

A

stiano
S. Caro
se a
2. Si q
tia, vel
tueatur
pro Sto
Arnobi
nicis,
eruditi
illiusq;
rium s
hoc Sã
Euseb l
num 18
Doctri
Ep. ad
dicio om
e medita
Schola
Christi
in interp
S. Patr
plante
Stoicæ
nullo p
ante ca
in eoq;
dentibu
4. Nor
quoq;
M. Ant
rum D
bri) For
Saturn
tur, pl
quod à
Imper

1. ANte *Cæteros Cælites* veneretur *S. Pantænum* (cuius dies Festus in *Martirologio Romano* reponitur 7. *Iulij*) virum Apostolicum, & omni Sapientia ornatū, Philosophum Stoicum; eum *S. Hieronymum*, qui peculiariter *Stoicos* Christiano *Dogmati in plerisq; concordare in c.* 11. Isaię affirmat; postea *S. Carolum Borromæum*, qui sępè fassus est, se *Epicteti* libris impulsū fuisse ad Humanarum Rerum Contemptum Diuinarumque Amorem. 2. *Si quæ Stoicorum* Dogmata contineant Catholicę Fidei aduersantia, vel non satis congrua, reijciat, & contra Stoicos Catholicam tueatur Veritatem. Nunquam verò rationes (nisi eas quoq; soluat) pro Stoicorum effatis contra Catholica Dogmata excogitet. 3. *Cum Arnobius*, ac *Tertullianus* Stoica sæpe laudauerint Dogmata, Platonicis, & Aristotelicis potius infensi; & S. Pantænus ob præcipuam eruditionis gloriam in Indiam missus, vt Christū apud Brachmanas, illiusq; gentis Philosophos prædicaret, Alexandriam reuersus ibi plurium spatio annorum nobili præfuerit Scholæ (legi possunt quæ de hoc Sāctissimo Viro nobili e Stoicis Philosopho tradunt inter cæteros *Euseb lib.* 5. *c.* 10. & ad annum 181. *ac Baron tom.* 2. *Ann. Eccl. ad annum* 185. ac *in Notis ad Martirol.* 7. *Iulij*) in qua Stoicam profitebatur Doctrinam, & *Clemens Alexandrinus* (de quo inter cæteros *S. Hier. Ep. ad Magnum* inquit, *Clemens Alexandrinus Presbiter Ecclesiæ meo Iudicio omnium eruditissimus*, quid *non in illius libris eruditum*, *imo quid non e media Philosophia*.) S. Pantęni in Schola successor, se Stoicum & in Schola docens, & libros euulgans exhibuerit, Stoicorumq; Dogmata Christianis accō nodauerit, quibus esse valde affinia *maximus quoq; in interpretādis Scripturis Ecclesiæ Doctor* apertè pronunciauerit; adeoq; *S. Patres* priscis Ecclesiæ temporibus, sicuti in Naturali, & Contemplante Philosophia Platonicæ præ alijs, ita in Morali, & Actiua Stoicæ Philosophiæ prę cæteris videntur fuisse addicti: *Intelligat*, se à nullo posse meritò vituperari, si Moralis Philosophiæ Stoicæ studium ante cæterorum Moralem Philosophorum Catholicis suadeat Viris, in eoq; insudet quam maximè; imò sibi suadeat hinc à pijssimis, prudentibus, ac Sapientibus Viris summas potiùs laudes reportaturum. 4. *Norit*, multorum spatio annorum, vel vnà cum *Platonica*, vel solam quoq; primas obtinuisse sedes Stoicam Philosophiam, ac nominatim M. *Antonini* æuo, *qui Apollonij*, *Sexti*, *Iunij Rustici*, aliorumq; Stoicorum Disciplina excultus ea *Sapientia* (quam præferunt quoq; illius libri) *Fortuna* etiam in Bellis celeberrimis, ac *Probitate* fuit, vt aurea Saturni sæcula retulisse censeretur, nemoq; cum funus illi duceretur, plangendum putauerit, certis omnibus (sic habet *Capitolinus*) quod à *Dijs commodatus* ad *Deos* redijsset. *Octauianus* quoq; *Augustus* Imperij Romani Formam ex Tyrannide in Regnum Conuertit, vbi

cele-

celeberrimæ Stoicorum Diſciplinæ ſub *Athenodoro* Stoico ſe tradidit. Veteres etiam *Iuriſconſultos* Stoicorum potiùs, quam aliorum Philoſophorum, Doctrinis fuiſſe imbutos, eruditis perſpectum eſt: & licet Stoici plures habuerint inſectatores, nominatim ex Peripateticis, & Academicis, in omni tamen æuo, habuiſse eorum Scholam ſemper illuſtres quoq; ſectatores. Etiam Ciceronis tempore Stoicorum ſecta pleriſque erat infenſa; nam. 4 *Tuſcul.* ait, *licet inſectemur Stoicos, metuo ne ſoli Philoſophi ſint* Fieri potuit (quod etiam modo fieri poteſt) ne multi Stoicorum Diſciplinam odio fuerint proſecuti, quod vitijs contaminati de Virtutibus illos altius pre alijs ſentientes, ac differentes à ſe repulerint, ne Vitia tacitè ſaltem illorum oratione ſibi obijci viderentur, eoſq; potius amplexati fuerint, qui in Contemplatione naturę tantum verſabantur, & in ſuperuacuis quibuſdam ſubtilitatibus, ac Diſputationibus tempus terebant, ac Sophiſtæ dicebantur; à quibus educari Iuuenes omninò vetuit *Anytus* apud *Platonem*, qui & inſaniſſimas Ciuitates eas appellat, qui eos non expellit. Et tamen qui de moribus agunt, vel *Soli* (vt videtur etiam ſentire Cicero præter alios) vel ſaltem *Præcipui* Philoſophi ſunt. 5. *Quamuis reliquas* Philoſophorum Sectas, primarias ſaltem hoc eſt, Poeticam (ſic Iuſtus Lipſius primam nominat) Ionicam, Eleaticam, Megaricam, Pythagoricam, Academicam, Epicuream, Scepticam, ac Peripateticam vnà cum earum Principibus, præcipuiſq; Aſſeclis, & multò magis cũ ſingularum Principijs, per quę vna ſeiungitur ab alia, explorata habere debeat, vt poſſit certiùs cognoſcere, *In quibus Stoica Philoſophia* illis diſſentiat, vel conſentiat; *Quænam Stoici* ab antiquioribus acceperint, *Quænam* addiderint &c. in *Socratica* tamen, quę apud Platonem eſt, deſudet potiſſimum; nam Stoica Paradoxa plerumq; Socratica ſunt. Socrates autem fuit, qui Philoſophiã priſtinę laudi (nam antiquiores Sapientes, ſi excipiantur *Thaletes*, & *Archelaus*, potiſſimũ Morali deditos fuiſſe, multi conſtare exiſtimãt) ſumma cum approbatione reſtituit. 6. *Stoicæ Principis* ſectæ, ſiue *Zenonis*, præcipuorũq; illius Sectatorum in omni æuo, Mores habeat notos; ex his enim non ſolummodo multorum calumnias cõtra Stoicam ſectam reijciet facilè; verùm etiam agnoſcet. *In quibuſnam Stoici a Cynicis*, quorum Dux fuit *Antiſthenes* Socratis Auditor, diſcrepent; & *Quinam* e Succeſſoribus inſequentibus ſæculis minus præcipuis Stoicis conformes fuerint, & quorum cauſa Stoicorum nomen apud aliquos malè audierit. *Animaduertat* ſimiliter, *Quænam Stoici poſteriores* addiderint prioribus, & an in aliquibus ab illis diſceſſerint; nam qui in principijs quibuſdam diſſenſerint, licet in multis conſentiant; haud ſimpliciter Stoici erunt appellandi. 7. Cum omnes Stoicorũ libri, qui plurimi erant (ſi excipiantur *Senecæ*, & *Epicteti* aliquot) perierint, eorum Doctrina ex alijs, apud

apud quos superest, Auctoribus colligenda. Euoluendi quidem præ cæteris Epictetus, ac Seneca, cum hi habuerint, habeantq; peculiares in Stoica Philosophia laudes: Scholia quoque, Annotationes, ac Interpretationes, & Cōmentarios nonnullorum nominatim recentiorum in hosce libros (reiectis tamen semper ijs, quæ Catholicæ Veritatis, moribusque Christiano homine dignis repugnant) perlegere erit opportunum. Vt eosdem euoluant, hortetur huius Philosophiæ studiosus quoslibet; nam e nullis, quos Ethnici scripserunt, libris, nullus maiora, maximè ad *tranquillam*, inter aduersa etiam, ducendam *vitam*, reportabit commoda 8. *Finem Stoicæ disciplinæ* attendat sedulò, qui fuit *Virtutibus, illisq; eximijs hominum animos exornare, vitijs prius relegatis, animi motibus temperatis*, siue *ad moderationem reuocatis &c.* cum tamen dicatur Peripateticæ doctrinę finis esse rerum naturalium cognitione mortalium animos imbuere: Quam tamen, sicut & cęteras Artes liberales, existimarunt sapientiores Stoici debere *rudimenta nostra*, non opera esse; *præparandum* illis ingenium, non detinendum; *tamdiù* illis immorandum esse, quandiù nihil nouimus agere maius; *& solum* tanquam fręno coercendos Iuueniles animos, ne alijs distraherentur; hominumq; verè sapientum esse illas non discere, sed didicisse, ac se in ijs exercere, cū vellent nihil agere; aut potiùs illis vacare, tanquam parergis. Quare licet huius Philosophię studiosus a se Physicarum, reliquarumq; Disciplinarum studium a se penitus remouere non debeat, nec alijs illud dissuadere; in ijs tamen, quæ ad Mores pertinent, tum primam, pręcipuamque collocet operam ipse, tum vt alij etiam collocent, curet. 9. *Perpendat* mirabilem esse apud Stoicos veros (nam Chrysippus, & alij a Zenone, & Cleanthe in plerisq; dissentientes pugnantia dixerunt) rerum contextū; respōdent enim extrema primis, media vtrisque, omnia omnibus, vt fassus est etiā *Academicus Piso*, imò & *Cato* apud Ciceronem: quod non est facilè in alijs Philosophis reperire, vnde in varias, quæ Aristoteli ipsi opponuntur, Incōsequentias, in variasq; Peripatetici abiere sententias. *Primum illorum Axioma*, seu *Decretum*, ex quo reliqua quæ docent, videntur fermè omnia consequi, teneat, mentiq; habeat fixum, Hoc est, *Summum Bonum eße Virtutem*, seu *Honestum*; nomine autem *Virtutis* intelliguntur omnes virtutes, quę iuxta Stoicos sunt ita inter se connexe, vt alia seorsim ab alijs haberi nequeat. 10. *Attendat*, Stoicos veteres non indulsissę eloquentię, vt obseruat quoque *Quintil lib.* 10. *c.* 1. qui addit *lib.* 12. *c.* 2. illis defuisse copiā, nitoremq; eloquentię; adeoque etiam ipse potissimum insudet, vt oratio sua sit perspicua, non valde sollicitus quibusnam vocibus suos explicet sensus; *Solent eos, qui hærent in vocabulis*, & in ijs *sunt occupati, res ipsas effugere*, legatur *Clem. Alexand.* 1. *&* 2. *strom.* 11. *Quæ* Peripateticorum

rum, Academicorumq; imò & ipſius Platonis, ac Ariſtotelis moribus, ac doctrinæ à pluribus ſolent obijci, nota habeat; vt ſi quando quędam Stoicis, eorumq; diſciplinę à Platonis, Ariſtotelíſq; ſectatoribus obijcerentur, ſimilia illis obijci poſſint. Rationes quas illi afferunt ad tuendum Platonem, Ariſtotelemq; in pluribus, eędem propugnare queũt Stoicos; quorum tamen ſingulorum omnia dicta, factaq; excuſare nolit. Cum tamen Seneca fuerit inter, Stoicos primarius, acerrimuſq; Vitiorum inſectator, ſi quę illius moribus illatæ calumniæ immeritò, vindicare conetur: Illius tamen orationem oratori haud imitandam ſuadeat. *Quintil lib.* 12 *c.* 10. dicendi genus Senecæ vituperat acriter, eo quod adoleſcentes remouere cuperet ab eo vitioſo & corrupto dicendi genere ibi commemorato. *Quod aut Puerilibus ſententiolis laſciuit, aut immodico tumore turgeſcit, aut inanibus locis baccatur, aut Caſuris, ſi leuiter excutiantur, floſculis nitet, aut præcipitia pro ſublimibus habet &c.* cõtra quod etiam deliniens praua quadam voluptate puerilia ingenia, & hoc gratius, quo propius, ſcripſerat lib. 2. c. 5. 12. *Quæ Peripatetici*, alijq; oppoſuerint Stoicis Placitis exploratiſſima habeat. Nouerit pleraq; malè ab his intellecta, nõ integrè prolata, diſſonũ planè ſenſum illis tributũ; & cum in definitionibus multis, ſiue acceptionibus terminorum diſcreparint, haud eſſe mirandum quod in Concluſionibus diſſentiant. Ex ſuppoſitionibus quibuſdam factis arguitur benè contra Stoicos: At illæ nõ ſunt Stoicorum, ſed ipſorum arguentium. 13. **Notet** ea, in quibus cõueniunt Peripatetici, Academici, Stoici &c. Hęc enim quam maximè ad veritatem accedent, niſi Fidei repugnent. 14. *Verus Stoicus* nunquam Academiæ, vel Licæo tribuat, dicta, factaque nonnullorum, qui ſe Platonicæ, aut Peripateticæ ſectæ aſſeclas profeſſi ſunt, vel profitentur, dum e legitima Platonis, vel Ariſtotelis doctrina prauè geſta, aut dicta haurire non potuerunt: Secus *Stoæ* Stoicorum quorumcumq; vitia illi tribuent: ſi autem illi etiam adhuc tribuerint, eos haud imitetur. Vindicet potiùs & hoſce, & alios a multorum calumnijs imitatus Senecam, qui Epicurum ipſum *Sancta, & recta præcipere, & ſi propriùs acceſſeris, triſtia* aperte docet. In *Iucunditate* orta ex prudentia, alijſq; virtutibus *ſummum ipſe bonum* collocauit, vt liquet ex illius *Epiſt ad Menœceum &c* 15. *Ethicos Ariſtotelis libros* ad Nicomachum (animaduerſis tamen illis, in quibus diſſentiunt Stoici) diligenter euoluat; nulli enim antiquiorum libri meliora ipſo in ijs, quę ad naturam morum, & originem ſpectant, afferunt. Ea forſan hauſit a *Socrate* (ſi fides habenda *Ammonio* ſcribenti *Ariſtotelem* trienio *Socratis* fuiſſe Auditorem) quem ipſemet Ariſtotelis docet fuiſſe primum, qui de Moralibus virtutibus vniuerſè definire laborauerit. In his quidem non ſiſtat, ſed ad virilem Stoicorum Sapientiam vltrò progre-

progrediatur. 16. ***Secutus*** ex ipſiſmet Stoicis ***Epictetum***, ac ***Senecam*** non tantùm ipſe vni ſe alliget e Stoicis; verum etiam in Platone, Xenophonte, Ariſtotele, Cicerone, Plutarco, Laertio, Luciano, Stobæo, Philone &c. & maximè in Sacris literis, S. Patribus, Chriſtianis Doctoribus, ac Theologis Catholicis quæcumq; ad ingenerandum animis virtutis amorem, morboſque & affectus animi perſanandos prodeſſe poterunt, ſtudioſiſſimè conquirat; apeſque imitatus quęcumq; ex diuerſa lectione congeſſerit, adhibita ingenij cura in vnum ſaporem varia hęc libamenta confundat, vt etiamſi apparuerit vnde ſumptum ſit, aliud tamen eſſe, quam vnde ſumptum eſt, appareat. 17. ***Secum accuratè perpendat***; An e re literaria, communiq; Chriſtianarum mentium commodo foret, ***Stoicæ Doctrinæ Corpus quoddam conficere*** iuxta Methodum à ***Comite Gaſpare Scioppio*** propoſitum in libro, cui Titulus, ***Gaſparis Sciopij Elementa Philoſophiæ Stoicę Moralis &c.*** impreſſo Moguntiæ anno 1606. dicatoq; *Cynthio Aldobrandino* Cardinali S. Georgij. Liber hic à Probis, ne dum Eruditis Viris, euoluendus eſſet accuratè; Nam licet libri alij iam editi, ac edendi (quorum ſicuti & cæterorum omnium hęredem vniuerſalem inſtituit ſibi amiciſſimum Perilluſt. ac Excell. D.D. *Io. Michaelem Pieruccium*, in cuius domo plurium ſpatio annorum vitã traduxerat) non ſupereſſent modò; ſatis Inuidię, Malignitatis, Detractionſq; ſummę coargui apertè cognoſcerent illos, qui purum Grammaticum fuiſse Comitem Scioppium affirmarent, literarum Monopolium penes ſe tantum eſse iniquiſſimis artibus contendentes, vt facilius ſuo quoſuis regerent imperio; ſolùm enim illi, quibus in Scioppium maleuolentia, ac liuor Veritatis lucem abſtulit, pernegare queunt, illum fuiſse pluribus imbutum ſcientijs, ac in Morali Philoſophia nominatim inſtructiſſimũ. Ex hoc etiã libro pateret ſingularis ***Scioppij*** Pietas, acerrimumq; illius in Catholicæ Eccleſiæ commoda ſtudium cum ***ſumma in Romanam Eccleſiam propenſione***, pro qua ne dum pluriũ, iam editorum quoq; conſcribendorum librorum laborem ſuſcepit contra nonnullos illius oppugnatores, verũ & apertum mortis diſcrimen adijt Matriti 21. Martij 1614. Vndecim hominibus non Catholicis ob vulgatum pro ***Romano Pontifice*** librum vulnera illi per ſe lęthalia infligentibus; de quo modò etiam proceſsus Hiſpanicè ſcriptus authenticus, firmatuſque Matriti 12. Iulij eodem anno teſtimonio quatuor ſcribarum Regiorum apud eumdem Excell. *Pieruccium* Pandectarum nunc in Patau. Acad. Lectorem extat. Notũ eſse ſcripſit quidẽ ***Ferdinandus*** Auſtriæ Archidux literis Pragæ datis 26. Septembris 1610 *Quam inſtanter, &* feruidè Sacrę Cęſ. Maieſt. & ſuus Conſiliarius Gaſpar Scioppius labanti Catholicæ Religioni a multis iam annis ſuppetias tulerit, & quantũ interea ſuis in lucem editis libris, & lucubrationibus fructum

in Republica Christiana fecerit &c. & huiusmodi propositum etiam porro continuare *statuiße &c.* Qui addit, illum *Ob singularem Doctrinam* (non Grammaticam tantum) *& qualitates* haud *vulgares omnibus beneficijs dignum esse.* Idem Imperator electus in literis Viennæ Scriptis 22. *Septembris* 1628. eumdem Scioppiũ (quem in literis etiam ibidem 3. *Martij* 1632. appellat *sibi, & Imperij Dilectum, fidelem &c.*) dilucidè affirmat, *Vitam, & Studia sua in quiete, & Diuini Cultus frequentatione* finire solummodo desiderasse &c. Hæc, aliaq; in Scioppij laudem est legere in integris literis pluribus Virorum omni exceptione maiorum descriptis in *Horto Crustano* à pag. 139. ad 146. edito Francofurti 1648. à Religiosissimo, Doctissimoq; P. D. Romano Hay ex Benedictino Ordine: Inter has autẽ reponitur Epistola ad eumdem data ab Adm. Reu. P. D. Gabriele Bucelino ad eumdem P. Romanum Vueingart. 6. Ianu 1640 (modò hic integerrimus, ac eruditissimus Vir Venetijs moratur in Monasterio S. Nicolai de Littore, scriptioni plurimorum voluminum, quorum Indicem iam emisit, vacans) in cuius initio hęc leguntur. *Mirati sunt* omnes nostri, qui Ecclipsin Soli moliantur: Ego vitium oculorum interpretor, & impingentibus ad tanti Astri radios condoleo, nunquam, nisi persanato oculo, illuminandis. *Manduconem Vueingartensem quod attinet* (quidam in edito libro Gasparem Scioppiũ, qui in Monasterio Vueingartensi in Suecia aliquamdiu moratus fuerat pro studiorum suorum prosecutione rogante Archiduce, ac postea Imperatore Ferdin. II. *Ordinis Benedictini Manduconem* appellauerat) *etsi Manducones* huiusmodi plurimos aluerit S. P. Benedictus, hoc tamen, de quo loquimur, illi vix aluit magis sobrium, vt admirationi religiosissimis quibusq; esset; tanta in homine sæculari sobrietas, frugali contenta prandio, *cęna integrum annum nulla, vix frigidæ sub noctem haustu, & solo panis modico, admissis.* Hæc ille. Vtinam inter Catholicos nulli, & maximè illi, qui se peculiariter ad oppugnandos Lutheranos electos esse arbitrarentur, illorum, similiumq; hominum morem amplectantur, *fallaciter*, & *insidiosè quicquid ipsis accommodatum, causęque suæ vtile videtur, effingentes*, vt contra eosdem Lutheranos idem Scioppius agens in Conci. pag. 153. eiusdem libri Elem. Stoic. Phil. habet. Vtinam nulli ex ijs præcipuè, qui tenentur Christi vestigijs insistere præ cęteris, *plumbeas gerant iras*; quod Crimen eò perniciosius foret, magisq; scandalosum, quò sub Caritatis, & in Ecclesiam amoris specie velaretur, idq; apud parum prudentes, & qui mores hominum, ac nominatim illorum, qui se Spirituales dicunt, recensitos peculiariter in lib. inscripto, *Inganni della Vita Spirituale*, P. Francisci Staderę ex ingeniosissima Societate Iesu, haud notos habent. Sapienter enimuerò P. *Henricus VVagnereck* ex eadem inclyta Soc. Iesu in *Vin-*

di-

dic. Polit. D lingæ impressis 1636. in Dedicatoria ad Cardinalem
Bentiuolum ait, *Nullam Capitaliorem* improbitatem esse, quam eorum,
qui tum, cum maximè fallunt, id agunt vt boni viri esse videantur, &
seu patrociniũ, seu suffragiũ apud illos dolo malo sibi cõparent, *quib.
si intus, & in cute noti eßent, nigrum theta procul dubio referrent.* Addit in
Præf. *Nouum non est, homines improbos virtutis specie, vel eruditionis fa-
ma, ac fallaci sæpe præiudicio, patrocinium, & commendationem sibi compa-
rare.* Hi enimuerò homines non Christiana tantum, ac Stoica verum
qualibet alia morali Philosophia se destitutos declararent. Purgante
eorum Flauam, Atramque Bilem medicamento illi equidem indige-
rent. De his satis. Iste *Scioppij* quidem liber ad Piorum, Eruditorumq;
hominũ vtilitatẽ esset recudendus. 18. *E libris*, quos legit, ac nomina-
tim Philosophorũ, & ex his præcipuè illorum, qui se Academicos, vel
Peripateticos profitentur, laudes Stoicorum colligat simul cum illo-
rum Vituperationibus, ac dicterijs in illorum Philosophiam, hisque
respondeat, & quandoq; ad hominem. Si asserant v.g. Stoicis infensi,
Stoicorum dicta, esse *Spinas*; illa ipsemet appellet *Roseta*, quæ præ-
clarissimorum documentorũ rosas includunt: *At spinæ sint*; pungunt,
stimulantque animum ad virtutem semper; An non etiam Aristotelis
dicta Spinę etiam nominari poterunt? Si *obscura* esse illi affirment;
At subdat, hebeti ingenio hominibus, & qui Sapientiam e Cælis suo
illabi animo absq; vllo labore cuperent. Nonne *obscurus* etiam Aristo-
teles à multis censetur adeò, vt similis Oraculo dicatur? Patent om-
nibus, quæ de Aristotelici styli obscuritate censuerint *Trebat.* apud
Cicer initio *Top.* Rodulphus apud Ioannem Visorium in Proem. Top.
Cic. Themistius ipse 1. Phy. &c. Si *Breuia* sunt *Stoicorum dicta*; An
non etiam Aristotelis? Philosophia haud est populare artificium, vel
ostentationi paratum; in rebus, non in verbis est. Hæc illustranda
sunt ab interprete. Haud illi à republicę administratione homines
remouent, sed potiùs optimis consilijs magistratus imbuunt, homi-
nesque idoneos ad eos ineundos excitant. Volunt frequentari fores
potentium, cum ratio id postulat pro patria, amicis &c. Eorum ami-
citiæ semet *applicare* sapientem, non *implicare &c.* Haud abhorrent
à vestitu, victuq; cuiuslibet statui congruo: delitias solum quasdam
reijciunt: Haud reddunt Stoicorum effata homines asperos, aut
acerbos, aut boni communis osores; seueros quidem illos faciunt, nõ
molles, vero, sinceroq; amore prosequentes humanum genus, com-
munibusque bonis attentos. Haud *Eutrapeliam* vituperant; imò do-
cent conuiuari (infra tamen ebrietatem) conuiuia hilariter agitare,
lyra, siue cythara canere, facetijs in loco vti, quodam vrbanitatis
lepore orationem condire, saltare, esse gratiosum, iucundum, alli-
cientem homines ad amicitiam suam &c. Si illorum, quæ nonnulli

obijciunt Platonis, & Ariſtotelis doctrinæ, habenda eſſet ratio, eo-
rumq; mens non ſedulo exploraretur; plura poſſent illis maiori di-
gna reprehenſione adſcribi, quam quæ Stoicis. 19. *Ne putet*, Stoi-
cos in ſola Ethica fuiſſe pręcellentes. *In Logica* illi valde excelluerunt,
& ita vt *Criſippęa* Ariſtoteleæ prælata fuerit, ac nullum in colligen-
do, ac probando quę inſtituiſſet, aut probando acrius, aut conclu-
dendo ſubtilius Stoicis præpoſitum fuiſse multi aſserant. Legatur
Quint. lib. 10. *c.* 15. *& lib.* 12. *c.* 2. Certè S. Auguſt. lib 1. contra Crę-
ſcon. c. 12. ait. *Libri Stoicorum nos Dialecticè diſputare docuerunt*: ac
Stoicos *Logicam ſibi vindicare* ſcribit S. Hier. lib. 1. adu. Ruf. In *Na-
turali* Philoſophia ſuas etiam habent laudes. Comparari etiam vi-
dentur poſse cum Platone circa illa, quæ tradunt de Deo, ac Diuinis.
Nemo quidem de *Fato, Prouidentia, ſimilibuſq; Diuinis* ſubtilius, vbe-
rius, verius ſcripſiſse à compluribus exiſtimatur præ Stoicis. Eſt ve-
riſſimum quidem, quod illi in ſua Philoſophia tradenda ſibi tantum
habeant vltimò propoſitum *Honeſtum*, propoſitam *Virtutem.* Vt er-
go quis totius Stoicæ Philoſophiæ peritiam habeat, ſtudium quoque
impendat in illis, quæ circa Rationalem, ac Naturalẽ Philoſophiam
tradiderunt, eaq; vel ipſe ex eorum libris colligat, vel ex aliorum
collectione iam facta habeat. Colligere hæc, ne dum Stoicorum Pa-
radoxa interpretari (quod circa multa etiam pręſtitit Comes Sciop-
pius) conatus eſt multa cum laude eruditiſſimus hoc ęuo *Iuſtus Lip-
ſius.* Aſserendum quidem eſt, huiuſmodi Philoſophię partes fore
mancas, mutilaſque, niſi ſimul quoque addantur, quæ Plato, & Ari-
ſtoteles, ac alij Philoſophorum Duces tradiderunt; quos Stoicus pro
merito laudare debet, ſuamq; dignitatem cuiq; tribuere. In quibuſ-
dam præſtat Stoica Academicæ, ac Peripateticæ ſectę; in quibuſdam
hę pręStoica excellunt. 20. *Ea quæ pertinent* ad Paſſiones, Affectuſq;
animi, eorumq; ſingulorum *Moderationem*, e Stoica diſciplina hauri-
re ſtudeat quam maximè. Non diù verſetur in tractanda eorum de-
finitione, diuiſione, ac numero; ſed potius in percipiendo, *Qua ra-
tione* Animi Affectus curandi ſint, ſi malitiam contraxerunt, ab eaue
præſeruandi: *Officium* potius virtutũ, vitiorumq; proprietates, quam
eorum Definitiones ſcire ſatagat: *Mediorum*, quę ad Honeſtum ne-
ceſsaria, vel opportuna ſunt conſequendũ, quam Honeſti vt ſic, po-
tius notitiam aſsequatur. In definitionibus tamen, Diuiſionibus, Nu-
mero Affectum, Virtutum &c. Stoicorum etiam ſententiam amplec-
tatur, ac tueatur. 21. *Stoicorum Paradoxa* omnia in vnum colligat,
eaque interpretari iuxta illorum mentem, veritatemq; ibi latentem
manifeſtare ex eorum præcipuè dictis enitatur. Inopinata ſunt illa,
ſed non falſa. Eorum intelligentia haud humile, abiectumq; inge-
nium exigit. Intimam illorum doctrinam ex aliorum, ſiue Poeta-
rum

rum, siue Philosophorum dictis, imò & exemplis, confirmandã curet. Sunt illa veluti Stoicæ Philosophiæ Elementa: Vocantur Decreta, Scita, Placita, Axiomata, quæ si quis satis assequatur vnà cum Stoicorum ipsorum Præceptis (hæc distinguenda sunt à Decretis; Vtraque autem necessaria) Philosophiæ Ethica Stoica satis informatus erit. Illa Philosophiæ huius Moralis Pars, quæ tradit Decreta, & Paradoxa de *Æstimatione* finis, seu extremij; Bonorum, Malorum, & Indifferentium; Honestorum, ac Turpium; Virtutum, & Vitiorum: ***De Appetitione***, & Auersatione: ***De Sapiente***, hoc est, de Rectè æstimante, & appetente; dicitur ***Dogmatica***. Quæ Continet Præcepta de Appetitionum, siue Affectuum Medicina Purgante, ac Præseruante, De Officijs, & Actionibus, dicitur *Parænetica*, *& Pædagogica.*

22. ***Amplificare conetur Stoicam Philosophiam***, non solum eam debitis extollendo laudibus, verum & scriptis Annotationibus, Librisque etiam in eorum doctrinam. Commendabile foret, vt quis eam ex Verbo Diuino scripto, & ex S. Patrum auctoritate confirmaret; & vnumquodq; Paradoxum aliquo Scripturæ loco, & alicuius S. Patris auctoritate muniret; sed hoc nemo præstabit ritè, nisi in euoluendis sacris Codicibus, Sanctorumq; Patrum libris studium impendat. Optimè autẽ de Philosophia Stoica merebitur ille, qui vel Iustiananeum Ius, vel Canonicum Ius, aut aliquam horum Iurium partem Stoicorum effatis illustrare conabitur. 23. ***Vocum quarumdam significationem***, ac energiam in Stoicorum effatis inclusam ab ijsdem Stoicis accipiat. Quosdam peculiares animi sui sensus, eosq; reconditos, quibusdam vocibus occultant quidem, sed minùs sapientibus, minusque versatis in eorum Principijs. In verbis quidem solum discrepant à cæteris Philosophis sæpè, imò in præcipuis quibusdam quæstionibus.

24. ***Cum non raro Stoici*** in suis effatis mortales videantur docere quædam humanam exuperantia naturam, & quæ ab vno vel altero dumtaxat ad summum perfici posse videntur; ***Intelligat***, eos imitari Chori magistros, qui tonum leuiter excedunt, vt reliquos reuocent ad concentum; ac esse instar illorum qui auem v. g. arbori insidentem sclopeto occidere cupientes illius ictum altius collimant. Aristoteles etiam eam Demonstrationis naturam tradidit, vt plerique fateantur, nullam adhuc afferri posse, quæ ab illo allatas conditiones perfectissimè assequatur: Sic etiam Plato eam Reipublicæ formam describit, quæ nunquam futura est in terris. Spirituales etiam Viri hortantur, vt homo ad perfectionem tendens ad summum perfectionis culmen aspiret. Hinc fit, vt qui primas occupare partes præsignatas haud potest, in secundis saltem consistat. Stoicorum Philosophia non fœminarum, sed virorum est; non mollium, sed fortissimorum. Acceperunt illi quidem ex huiusmodi Effatis nonnulla à *Cynicis*,

e qui-

e quibus originē traxerunt, & à quibus videntur solū in vita, & cultu aliquantū discrepasse: Quare grati Stoici munus erit quoq; Cynicos à quibusdam illis iniquè appositis notis liberare, eorumque rectos, probosque manifestare mores, vt præstitit Epictetus, ac Seneca.

25 *Cum iuxta Socratem* (qui post Archelaum primus de Cælo ad terras Philosophiam deuocasse dicitur) summa Sapientia sit, *Bona, Malaque distinguere*; e Stoicorum disciplina percipiat, *Quænam* sint re vera *Bona, Malaque* dicenda, & *Quæ Adiaphora*, siue *Indifferentia*; atque in assequendis bonis illis, quæ simpliciter talia sunt, illorumq; amplificanda possessione operam quam maximè impendat, vt non minùs *Moribus*, quam *Doctrina* verus sit Stoicus. Legitimos quidem Stoicorum mores amplectatur, vt faciliùs ad Stoicæ Philosophię studium homines allicere queat: At multo maiori prosequatur studio Mores à *Christiana* propositos *Disciplina*; Quibus exornatus Tranquillam pro viribus Vitam degat in Terris, Tranquillissimam, omnisque perturbationis expertem ducturus *in Cælis*; In quod *insitum Christiani hominis Intelligentiæ Lumen suadet, vt præcipuæ cogitationes dirigantur Primò, omes verò colliment Vltimò.*

Laus Deo, Christo Crucifixo, B. V. SS. Angelis Custodibus (sub quorum patrocinio hæc Opuscula fuerunt inchoata, ac tandem perfecta) S. Julio, S. Clementi, S. Fulco, S. Sebastiano, ac S. Bernardo.

641

ERRATA SIC CORRIGE.

In 1. Opusc. pag. 21. l. 11. *omninus* omnibus 31. l. 27. *horore* honore 41. l. 22. *e cænæ hora* & cænæ hora 48. l. 21. *expositure* expositum 50. l. 7. *salubrimq;* salubriumq; 51. l. 32. *ludticos* ludicros 60. l. 22. *sæpis* sæpius 65. l. 8. *scholas scholæ* 70. l. 25. *paruo nullo* paruo, aut nullo 73. l. 24. *multos à multas* à multis 81. l. 18. *qua in illa* quanta in illa 82. l. 25. *scripto* scriptos 92. l. 27. *inferet* inferret 95 l. 32. *quicumque* cuicumque 96. l. 10. *non propugnaße* non propugnasset l. 40. *delebat* debebat 101. l. 11. *omenis* omnis 102. l. 40. *cur non* (cur non 107. l. 16. *nonnullum* nonnullorum 113. l. 40. *fuerit* fuerint 122. l. 25. *experientiam* experientia 123. l. 12. *piepati* pietati l. 28. *partes* partis l. 34. *Iurisdictionis* Iurisdictioni 130. l. 5. *exponantur* exponunt 135. l. 2. *Hæresis* Hæresi 137. l. 23. *iure* iuri 140. l. 38. *documenta illas fuiße scriptas)* documenta) illas fuisse scriptas l. 40. *Generalis* Generali 141. l. 36. *obisse* obesse l. 36. *videtur* videntur 153. l. 35. *Cauendam* Cauenda 167. l. 12. *voluerit* cupierit 169 l. 34 *forent* foret 182. l. 38. *habilitatem* habilitate 189. l. 17. *Collegium* Collegij l. 18. *Collegij* Collegio 200. l. 16 *libris* liberis 206. l. 8 *Dux huic* Dux fuit 220. l. 42. *odeunt* oderunt 224 l. 17 *ad 300.* ad 1400. 227. l. 27. *poteßet* posset 228 l. 8. *gestas* gesta l. 41 *Honori* Honorum 230. l. 5. *in delicij* in delicijs 233 l. 33. *fuerit* fuerint 241. l. 20. *si quis* si qui 244. l. 2. *fale* facile 248. l. 15. *Qua rationes* Qua ratione 251. l. 31. 1629. 1628. 252. l. 7. *eodem anno* dele *eodem.*

In 2. Opusc pag. 3. l. 1. *pecuriarisq;* peculiarisque 5. l. 2 *est Deô* est apud Deum 10. l. 30 *versione* versiones 14. l. 5. *Creationi* Creatori 22. l. 37 *posta* postea 24. l. 18. *vndeque* vndique l. 36. *Quima* Quinam 29. l. 41. *Generali* Generalis 30 l. 14. *approbationum* approbationem 31. l. 32 *alij* alijs 45. l. 16. *exaret* extaret 52. l. 33. *exessit* excessit 57. l. 1. *exaggerato non contra ius verbis* non contra ius verbis exaggerato 75. l. 6. *Commutatesq;* Communitatesque l 29. *maxima* maximam 76. l. 28 *suius* suis 81. l. 40. *faciliobus* facilioribus 82. l. 25 *paucissimam* paucissimas 85. l. 19. *apparient* appareant 100. l. 18. *infallibi* infallibili. 109. l. 13. *Quondam* Quodnam 119. l. 39. *horit* horum 123. l. 7 *Iustimæas* Iustinianæas l. 26 *Ecclesiasticos* Ecclesiastico 140. l. 42. *subiecti* subiectis 147. l. 25. *Romæ* Rotæ 163. l. 23. *ingularis* singularis l. 25. *pespectum* perspectum 164. l. 35. *Regibus* Regulis 167. l. 18. *diregere* dirigere l. 27. *Axiomata* Axioma l. 31. *Quid ad* Qui ad 168. l. 7. *alij* alijs l. 41. *Sedet &* Sed & 173 l. 39 *te tueri* se tueri: *valdissimæ* validissimæ 177. l. 10. *ignorantis* ignoratis 178. l. 16. *Philosophica* Philosophicas 191. l. 23. *à Quænam &* Quænam 211. l. 7 *agitare* agitari 233. l. 21. *habebat* habeat.

In 3. Opusc. pag. 4. l. 12 *selectas* selecta 6. l. 14. *possit* possint 12. l. 4. *dominum* dominium 16 l. 23. *tiquus* antiquus l. 24. *prælecturi* prelectu-

ERRATA SIC CORRIGE.

lectrurus l. 33. *omittentes* omittens 19. l. 34. *ſcientias* Scientia 23. l. 29. *contentionem* conſenſionem 24. l. 1. *hoc duo* hæc duo l. 29. *liottra* littora 27. l. 7. *Auctoribus* Auditoribus 39. l. 9. *parcuit* parſit 40. l. 28. *licentias* licentius 41. l. 30. *mutione* mutatione 45. l. 3. *rationi* ratione l. 13. *adnonet* adnotet 49. l. 14. *priuatio* priuato 59. l. 37. *Arguentes* Arguente 91. l. 17. *cum periti* cum peritis 94. l. 9. *proriæ* propriæ 95. l. 9. *vtatur* vtantur l. 16. *effunderint* effuderint 96. l. 25. *e diſputationi* e diſputationis. 99. l. 41. *verbi* verbis 100. l. 38. *Platonis* Platoni 102. l. 12. *pertinet* pertinent l. 34. *de Reipublica* Republica l. 42. *alique* alijque 103. l. 13. *libis* libris 105. l. 27. *Reſpublicę* Reipublicæ 111. l. 6. *veritatis* veritati.

In 3. Opuſc. Dedic. pag. 37. l. 13. *vitutis* virtutis *inrfimat* infirmat l. 20. *Pouida* Prouida 65. l. 1. *Ordinis* Ordine 97. l. 5. *Satis* dele.

Leuiora, vt interpunctiones multæ, vel omiſſę, vel ſuæ non appoſitæ loco; literarum detractiones, vel additiones, vel tranſpoſitiones, vel immutationes nonnullæ &c. aliorum more omiſsa. Si quæ etiam animaduerſis errata grauiora fuerint deprehenſa, Prudens, Beneuoluſque Lector facilè veniam dabit, excuſabitque, tum Auctorem, tum illum, qui caracteres ſimul coegit ad prælum B. N. maximè cum pleraq; folia in nonnullis, quę hìc adnotata fuere, ſint etiam alijs emendatiora, eo quod errores aliqui fuerint animaderſi, quo tempore illa imprimebantur, & in ſubſequentibus folijs correcti.



E.


ſcientia 23. l.
o l. 29. *liottra*
t parſic 40. l.
l. 3. *rations* ra-
59. l. 37. *Ar-*
9. *proriæ* pro-
nt 96. l. 25. *t*
l. 38. *Platonis*
ica Republica
eſpublicæ Rei-


inrfimat infir-
l. 5. *Satis* dele.


ſuæ non appo-
l tranſpoſitio-
miſsa . Siquæ
nſa , Prudens ,
ie, tum Auctor-
B. N. maxi-
tere, ſint etiam
imaderſi, quo
js correcti.



643






La Spezia
LABORATORIO
SANT AGOSTINO
vico S. Giovanni 4